

COLL. REG. MED. LOND.
MDXVIII
Ο ΒΙΟϹ
ΤΕΧΝΗ
ΒΡΑΧΥϹ Η
ΔΕ
ΜΑΚΡΗ



E. Curk del.

Monumentum ex aere et marmore, a Leopoldo Kislingio sculptum, positum exstat [illegible]
minori [illegible] Wahrina

JOANNIS PETRI FRANK

OPUSCULA POSTHUMA,

VIDELICET:

I.

DISSERTATIO DE CLAVIS PEDUM CAUTE SECANDIS.

II.

ORATIO ACADEMICA DE VITA BREVI ARTE VERO LONGA HIPPOCRATIS.

III.

INTERPRETATIONUM CLINICARUM FRAGMENTUM.

IV.

EPITOMES DE CURANDIS HOMINUM MORBIS PARS.

AB

JOSEPHO FILIO

NUNC PRIMUM EDITA.

VIENNAE, MDCCCXXIV.

Sumtibus C. Schaumburgi et Soc.

EPITAPHIUM.

(A monumenti fronte.)

DIVIS · MANIBVS
D · IOANNIS · PETRI · FRANK
ROSSORVM · IMPERATORIS · A · CONS · STATVS · ACT · ET · ARCHIATRI
ORDINIS · SS · GEORGII · ET · CONSTANTINI · EQVITIS
ARTIVM · MEDICARVM
GOTTINGAE · TICINI · VINDOBONAE · VILNAE · PETROPOLI
OLIM · PROFESSORIS · PVB.
ACADEMIARVM · QVAE · PER · EVROPAM · ET · AMERICAM · FLORENT
SODALIS
QVI · VIXIT · ANNOS · LXXVI · MENSEM · VNVM · DIES · VI
DE · VITA · DECESSIT · XXIV · APRILIS · CIƆIƆCCCXXI

(A tergo.)

OPTIMO · PARENTI · PRAECEPTORI · AMICO · SVO
AETERNI · AMORIS · PIETATIS · GRATISSIMI · ANIMI
PERENNE · MONVMENTVM · MOERENS · POSVIT
IOSEPHVS · FRANK

JOSEPHUS FRANKIUS

LECTORI S.

Quum gravissimum vulnus in morte Patris acceptum nulla doloris intervalla admitteret admotasque manus prorsus refugeret, quaedam a genitori ipso conscripta et mihi diligentius evolvenda, passus sum diutius, quam par erat, delitescere; tandem labentibus annis, utilitati publicae consulens, haec quoque in lucem emittere constitui: illud enim praecipue curandum puto, ut doctrina hominis ac fama in commune bonum clarescat.

Nec mirum, minori, quam fortasse rebaris, volumine ista contineri. Quippe illud in mentem tibi occurrat quod idem auctor hujusmodi opuscula typis singillatim mandabat, prout quaeque absolutissima illi viderentur. Hoc quoque animadvertendum, quod hisce nunc prodeuntibus opusculis tantummodo de medica praxi agitur, nequaquam de medica politia; quae tamen pars postmodo proba-

biliter typis aeque vulgabitur. Praeterea schedae dumtaxat adumbratae ne perperam colligerentur et non sine jactura auctoris ederentur summopere cavendum putavi.

Dissertatio *quaedam* de clavis pedum caute secandis *in Regio Archigymnasio Ticinensi habita A. MDCCXCIII. in re quidem leviori versatur; sed geminis historiis in ea relatis perquam utilia monita et luculentissima praebet. Non parvi pendendum, quo probatur in chirurgicae artis ministerio, inferioris nuncupato, summa pericula inesse. Monitum hujusmodi magnum pretium habet, praesertim aevo nostro quod infame est, tum propter abusum hirudinum, fonticulorum, et unguentorum causticorum, tum propter intempestivam eorum adplicationem super cutem teneram infantum, feminarum aliorumque aegrorum, praecipue cachecticorum. Pericula inde, non minora illis ab auctore jam memoratis in clavis temere resectis, nobis videre contigit.*

Oratio academica de vita brevi, arte vero longa Hippocratis, *habita est in*

Caesarea doctrinarum, Universitate Vilnensi A. MDCCCIV. eo scilicet tempore, quo Pater meus ad dictanda therapiae specialis praecepta magister consederat atque instituti clinici fundamenta statuerat. Auctor inter caetera sua opuscula hoc programma distinguendum (neque id immerito) censebat.

INTERPRETATIONUM CLINICARUM FRAGMENTUM, *quod secundi voluminis partem efficere debuisset, de morbis ventriculi, uteri ac cerebri observationes memorabiles; easque tabulis aeneis, partim pulcherrimis, illustratas, exhibet.*

EPITOMES DE CURANDIS HOMINUM MORBIS PARS, *doctrinam generalem de morbis systematis nervorum continet, addito tractatu de vertigine, cum portione alterius tractatus de apoplexia et paralysi, in quo elaborando, auctor iisdem, quos describere aggressus erat, morbis correptus decessit.*

Opusculis hucusque memoratis, consilia medica, *quorum permulta reperire mihi fuit inter relictas schedas, adjicienda esse arbitrabar: abstinui tamen illud animadvertens quod morborum de*

quorum origine et decursu copiose disserebatur, exitus nulla vel rarissima fieret mentio atque inde tum therapiae specialis, tum anatomia pathologica expectato fructu caruissent. Illud etiam obstabat, quod non lingua tantum Latina, sed et plurima quidem Italica, Germanica atque Gallica *exarata sunt, quae forte idiomatum varietas non omnibus adcommoda fuisset lectoribus. Denique supererat quod unam tantum illorum consiliorum partem, quae scilicet* responsa *attingit, a patre meo conscriptam esse constat: alteram vero, ad* quaestiones *spectantem compositam ab aliis auctoribus; quorum haud rara prolixitate veritus sum legentes fatigare.*

Ipse ego ne in tali veniam discrimine, finem sermoni imponam, hoc tantum precatus, ut doctorum hominum coetus eadem humanitate qua Patrem jamdiu suscepit, nunc et filium prosequatur.

Dabam Vindobonae.

ORATIUNCULA

CONTINENS

HISTORIAS DUAS

DE

CLAVIS PEDUM CAUTE SECANDIS.

Nulla tam exigua in Chirurgicis operatio est, *Rector Magnifice, Patres sapientissimi, Auditores ornatissimi!* quam, si ea vel sub iniqua rerum positione, vel sine debita cautela et cura suscipiatur, eventum tristiorem interdum habuisse, experientia non docuerit. Quamvis vero haec neminem veritas fugiat; non tamen in hac ipsa studiosae juventuti in mentem revocanda, ac uno alterove exemplo illustranda, inutilem poni operam existimo.

Foemina illustris *Bruchsaliensis* quinquagenaria, constitutionis admodum robustae ac fere virilis, duodecim fere abhinc annis, cum rure autumnum transigeret, *clavum* sibi pedum e digito rescindendum ipsamet assumpsit, ruditerque hoc opus perfecit. Dolorem, quo sese abhinc vexari animadverteret, spernens, in consuetis deambulationibus, donec insequens digiti pedisque tumor ac inflammatio motum pro-

tinus praepediret, continuavit. Ad externa jam eaque irritantia confugitur remedia; augentur symptomata; cerato, mihi quidem incognito, pes nunc involvitur; ac, sub crudeli istius dolore, tres fere hebdomadas medicina, ut vocant, domestica, in usum vocatur. Ad urbem delata aegra, medicum accersit: cujus et meum jungi consilio affines petierant. Mutatam a pristina mulieris faciem, singularem in respondendo brevitatem, morositatem insolitam observans, majora mox, quam ab adstantibus timerentur, pericula suspicabar: quae tamen ab externo calore, a pulsus frequentia, excepta arteriarum parvitate, confirmari non videbantur. Subjectum vero attento examini pedem, super malleolos usque frigidum, livescentem, ac sub cute, paucis et angustis modo foraminulis, ad laesi digiti radicem aperta, ichorem putridissimum fundentem intuens, atque commissum ulceri subcutaneo, per plantam pedis ad talum usque extenso, specillum, nec minimum dolorem inferre observans, de sphacelo praesenti ac inductis per hunc febre nervosa, mortisque imminentis periculo dubium remanere non potuit. Obstupuere, nec fidem verbis tam

dirae praesaginis dederunt affines. Hinc, praecipue ob medici domestici faustiorem longe prognosin, in sacris, quae jusseram, sine temporis jactura administrandis quodammodo cunctantur; post horas non multas, porrecto et apposito licet copioso chinae cortice cum camphora, deliria, animique deliquia succedunt; ac prima jam nocte extinguitur aegrota.

Laetioris alterum eventûs est foeminae conspicuae Mediolanensis exemplum. Haec scilicet, ex genitrice arthriticis doloribus summoper vexata, viginti duobus ab annis exclusa, duarum ipsa jam prolium mater, atque ex tertia septimum in mensem praegnans, valetudine, si *malaciam* excipiamus, qua calcem a muro deglubens, ut alias, cum foetum gereret, avidissime devorabat, sat integra gaudens, sub mensis februarii anni 1790. initio, clavum ad pedem dextrum sibimet ipsi secuerat. Secuta est levis in pede phlogosis, ac intumescentia brevi temporis spatio emollientibus impositis devicta. Post duodecim fere dies, rigor, dein vero calor gravidam invadunt; ad inguen dextrum ac super pube, dolor insurgit, pudendique labia tumescunt. Dolor per uteri

regionem, et ad lumbos, dexteri inprimis lateris, tam violenter extenditur: ut corporis movendi potestas omnis demtatur. Venaesectio, prudenti duorum medicorum consilio, jubetur institui, ac die morbi tertia bis vena sauciatur. Sanguis eductus mox corio tenaci et crasso contegitur; albescit lingua, os satis impurum esse refertur. Hinc remedia antiphlogistica, alvumque moderate purgantia praescribuntur; sed augentur dolores, quos cum opii grano uno atque dimidio in vanum, nec sine aestus interni majori incendio, sedare conantur; continua sunt, sed per saltus increscunt ferociter ad ventrem tormenta, febrisque intenditur. Die 15. februarii in consilium vocatus, praeter dicta symptomata, pulsus vibrantes, duros frequentes observo. Dolor media a pube, dextrum ad inguen summus decurrit: quo loco tumor subdurus, nec tamen circumscriptus se offert. Ardorem sub urinae effluxu, ad vaginam, simulque ad anum aegrota accusat, ac dictos ad pelvin dolores vix non quovis minuto redeuntes, magnis ejulatibus annunciat. Singulare, nec mihi visum in gravidis prius, ac foetus a motu aperte distinctum oculis

sese hic offert phoenomenon: sub quovis scilicet fortiori dolore, abdomen, ad regionem epigastricam, sat magnum in arcum sub manibus ascendit, ac, sedato cruciatu, pristinum in statum revertitur. Dolor ultimam ad costam ex spuriis laterisque dextri ascendit; vel crura movere, vel in lecto, ut clysterem admittat, converti aegra non potest. Lingua humida, muco albo obtecta est, vomuitque semel amara.

Hac sub rerum positione, venam denuo aperiri, usum opii internum seponi, ad inguen affectum, praeter linimentum volatile cum laudano liquido mixtum, cataplasma anodinum applicari, et, quae hucusque institutae jam fuerant, fomentationes emollientes abdomini imponendas continuari, pro potu vero, emulsionem cum nitro propinari conclusum fuit.

Die 16. res aegrotae meliorem aliquomodo in statum conversae videntur; minus urgent ac rarius insurgunt dolores; crus dextrum aliquem nunc motum admittit; arteriae, hesternis licet minus frequentes, adhuc durae, ac plenae tanguntur. Altera hinc imperatur venaesectio, a qua sanguis ut heri mox crasso obducitur corio. Bis

hodie tenacem admodum, albidamque, dein biliosam aegrotans evomuit materiam. Ad noctem parum, sed tamen magis ac ab opio hucusque fecisset, dormivit. Ad noctem dolores ac febris increscunt; quare duodecim, pudendis atque inguini dolenti, hirudines apponi jubemus.

Die 17. Dolores iterum majores, ac inter cristam ilei, ultimamque ex spuriis, laterisque dextri, costam inprimis urgent; per omne vero crus dextrum extensis licet doloribus, increvit tamen illius movendi potentia, atque enemata nunc injici queunt; febris interim hesternâ major, majorque est pulsuum frequentia, durities. Hinc novem denuo cruoris uncias emittimus, mox crusta obtectas. Urina parca, et cum dolore emittitur. Serum lactis cum tamarindis porrigitur; unde alvus aliquoties, sed parce movetur. Rubet facies, et lingua albo, tenaci muco, in medio obtecta est. Ad vesperas, praegresso ad horam quintam levi horrore, dextro super ileo dolores, cum aliquo tumoris glandularum inguinalium augmento increscunt; abdomen interim attactu mollescit; arteriarum est minor durities, licet major sit pulsuum frequentia. Emulsio

pro potu, — clysterque porriguntur. Nox magis inquieta, doloris, febrisque augmentum.

Die 18. Dolores quidquam moderati, alvus parce, sed aliquoties soluta, urina copiosior, non valde tincta; arteriae minus frequentes, molliores sunt. Interim ad noctem, sine praevio frigore, febris augetur; et cum sacris se muniri aegrota desideret, palpitatio cordis, pectoris angustia, inquietudo augentur, brevem post moram moderanda. Sub dolore tamen, qui minor nunc ad inguen, major ad dextram uteri regionem, et loco posteriori jam supra indicato, interdum urget, mox pulsus duritiem ostendunt. Nox sequitur coeteris longe melior, sudorque copiosus prorumpit.

Die 19. mane, remissio symptomatum aliqua; pulsus molles, minusque frequentes. Miliaria alba ad thoracem erupisse dicuntur, quorum tamen nulla jam supersunt vestigia; dolores rariores, moderati. Ad horam sextam vespertinam augentur vel maxime symptomata: pulsus pleni sunt, et duri, et simul frequentissimi; dolores; inprimis ad dextram uteri regionem omni

momento insurgunt, et ad inguen, ac femur dextrum, sub novis ejulatibus, descendunt: quo tempore uterus ipse tendi, duritiem singularem assumere videtur ac summam ab attactu sensibilitatem manifestat. Sudores multi, facici rubor, urinam mittendi stimulus, cum uteri doloribus correspondens, frequentissimus. Venaesectionem propono; quae tamen, quod a sudore levamen sperarent, differtur. Urinam immisso cathetere, licet hodie sat multum minxisset extrahi curamus; sed, ob lotii defectum, vana est operatio; clyster porrigitur, ac in coeteris continuari jubetur.

Res interim in melius converti videtur; ac *die* morbi *vigesima secunda*, pulsus mollior, minusque frequens tangentibus offertur. Oportuit nunc me *Papiam* redire, quo notitia pervenit: ob nova inflammationis pericula venam iterum apertam, — mox vero abscessus signa ad inguen observata fuisse; quo tandem aperto, aegrota convaluit, ac filium vegetum, atque robustum octavi mensis ad finem, exclusit, optimeque convaluit.

An ex *clavo* pedis resecto hic mor-

bus descenderit, dubium movere eo magis quis posset: quod per duodecim jam dies et phlogosin et tumorem, qui clavi sectioni successerant, cessasse dixerimus. Interim, si ad majorem in praegnantibus sensibilitatem respiciam;— si cruris et inguinis ex eadem, qua primum stimulus comparuerat, parte dolores considerem;— si praecipua symptomata in dextro potissimum corporis latere saeviisse perpendam;— si morbi alterius, id est *tetani*, qui, clauso jam vulnere, non paucos derepente invasit, historiam intuear: non possum, quin stimulum ex digiti pedis laesione, licet levi, ac jam dispersa, tam nervorum communione, quam forsitan vasis lymphatici unius vel alterius inflammati actione, ad superiora propagatum, pro causa morbi singularis, ac fere *metritidem* mentientis, principali declarem.

Plura malorum ex levissima laesione ortorum exempla, ne *Vestra, Patres sapientissimi* patientia abutar, allatis, ut possem, non addam; sed Te nunc *Cajetane Pirogalli*, qui chirurgiam, ut sat male denominant, minorem, hucusque exercens, ad majoris dignitatem, exantlato rigoroso exa-

mine, provectus es, appello. Nil temere vel illinc, ubi minor est aegritudinis externae aspectus, nil incaute suscipias! in arte, quam tractas, parvum esse nihil censeas! Non ambitus laesionis, non majoris operationis chirurgicae apparatus est, qui periculi instantis rationem ubique reddat. In singulis *majorem Te* sistas, et vocari merearis, quo *Te* primus titulo saluto, *chirurgum.* Vale!

ORATIO ACADEMICA

DE

VITA BREVI, ARTE VERO LONGA

HIPPOCRATIS.

Magnifice Rector, Senatus Academice, Professores celleberrimi, Auditores Ornatissimi!

In ore omnium haeret celebre illud *Hippocratis* effatum: „*Vita brevis ars longa est.*" Cum tamen parentis medicinae opiniones quascunque explicare, ejusdemque doctrinam commentari, illustrare, tam avide scriptores tentaverint; vereor, ne simplicissimam illam, simulque verissimam divi senis sententiam ita exposuerint, ut magna juniores in medicos utilitas reduntaverit. Hanc igitur partem mihi hodie eo magis pertractandam assumo, Auditores spectatissimi, quod illa ipsa, ad mentem *Hippocratis* intellecta sententia, tum potioris viros ingenii, quo omnes in arte colenda nervos intendant, impellat; tum obtuso lentoque intellectu a natura instructos, ne viribus majora audeant, absterreat.

Quam parum nempe pars illa vitae, quae hominem a coeteris animantibus distinguit, cum scientiae medicae amplitudine collata, extendatur; quanti haec ipsa ab illis, qui studio medicinae se fovent, facienda, et quomodo componenda sit, hic primum ostendam; — alterum orationis meae argumentum, in exponendis conditionibus, quas studium medicinae, artisque exercitium — sibi exigunt, ac denium in eo, qua nimirum ratione, absolutis meliorem ad modum theoriae medicae principiis, eorundem applicatio celeriore cum successu minorique cum taedio addiscenda, — vita vero medici sic longior, ars brevior reddenda sit, consistet.

Quin etenim vanae ostentationis in me culpam conjicere quis possit, si quid in re medica comparanda pro studiosa juventute consilii est; id a viro sene, cui multiplex et videndi, et experiendi, viresque a natura sibi concessas varios inter Populos exercendi oblata fuit occasio, exspectari posse, non injuste crediderim. Quam scilicet ego naviculam, prout animus juvenilis fervensque dictabat, octo abhinc lustris

audacter ascendi; quantùm haec, et quamdiu agitata, convulsa fuit!...

Primùm illa *Galliam* allidit; — *Germaniae* abhinc et Rheni amoena ad littora, cursu quidem sat placido, converti tentavit; ad haec ipsa vero graviter eandem mox concuti, ac novemdecim per annos, meridianas circa plagas, — jam septentrionem versus, ad *Leinam*, propelli; — mox in *Italiam*, crystallinas *Ticini* ad undas, amico litteris a sydere, attrahi; — duo ad has ipsas per lustra, — jam propicio, jam vero irato Neptuno, detineri; — ambigui dein *Istri* ad ripas urgeri, — inter has ipsas, decem fere annorum curriculo, velis nunc prospero a vento turgentibus, ad nutum moveri, nunc vero flaccidis, collapsis, ad inertiam damnatis, torpescere, — sors (paucis Aesculapii asseclis imposita) jussit. Tantis quidem vel uno ab homine susceptis absolutisque laboribus Patria dulcis benigne arrisit, viresque navigantis applausu suo Europa omnis, quae prolem mihi suam simul conducendam plena cum fiducia commiserat, non parum erexit; sed concussae tamdiu naviculae trabes stridere, chordae altius ingemiscere, vela quascunque in partes dis-

trahi, disjungi coeperunt, ac illius gubernacula tenentem, procellis innumeris vexatum, ac jamjam canescentem, etsi viribus et animo vix fractum, quo portum securiorem appeteret, coegerunt.

Stellam polarem nautae, — scientiae vero artesve; Numen, quod huic imperat, *Te Alexandrum Primum*, *Augustissimum Imperatorem, et totius Rossiae Authocratorem*, nunc respiciunt, ac pie adorant. Jussu *Tuo*, horrida illa vincula, quibus praeconcepta hominum opinio et crassa ignorantia, artes et scientias vincierant, dissiliunt, rumpuntur; novae, vel media in *Scythia* Athenae assurgunt; et *solis ortum*, dispersis per orbem terrarum gentibus *ex Septentrione* praedicunt; interea cum signa non pauca coelestia, illius occasum oppositis in plagis hinc inde minantur.

Has igitur ad oras et pellucidam ad *Viliam*, fiducia plenus, puppem converti. Hac alma musarum in sede, cujus fata Principi magnanimo, bonarum litterarum artiumque utilium summo Fautori, Protectori, maximam Rossici Imperii ad gloriam commissa sunt, — et a Te, Rector magnifice, cum tam felici rerum eventu, et

cum tanto regionum exterarum applausu diriguntur, hoc inquam in portu, Apollini sacro, naviculam figo, ac ad concessum celeberrimos inter viros locum honorificentissimum, quo meos, qualescunque labores magnis illorum lucubrationibus jungam, ascendo. Salvete, vos, qui tantis a praeceptoribus hucusque conducti, ad audienda meo quoque ex ore artis salutaris principia, et ad subeunda circa lectos aegrorum medica exercitia venistis, salvete viri juvenes! Quinque certe millia medicorum per omnem nunc Europam, et partim per Asiam, Americam, militantium, hoc magno in opere duxi. Multi ex istis, jam Principum Optimatumque valetudini tuendae praefixi sunt; plures, quae ex me quondam hauserunt, salutiferae artis elementa, variis, iisque celeberrimis in Academiis, cum eximia nominis sui gloria publice profitentur et docent; quamplurimi diversissimas inter gentes medicinam cum laude eximia exercent; et qui suam mihi gratitudinem, fiduciam, qui suum amorem hucusque retraxisset, vix unus est. Cur similes piae mentis affectus a vobis quoque, ut qui eodem et in vos ipsos amore feror, et quid-

quid in me est, vobis offero, exspectare haesitarem?

A die, qua utero excludimur, vitam principium sibi promere, prout alibi jam monui, non satis vere est dictum. Quo puncto temporis conceptio peracta est, eo scilicet vita animalis jam ingruit; et quotquot hic degimus, aetate, quam ipsi profitemur, sumus certe provectiores. Vegetare magis a suo exordio foetum, quam vivere, dixerunt; sed, *Tertulliano* id jam docente, et homo est qui futurus est; et ipsa vegetatio, sicut plantae, ita animalis quoque vitam designat. Quodsi organa, quae nostris ab oculis, etsi probe armatis, conspici haud possunt, homuncioni igitur deesse, defendere quis vellet; coecorum, qui colores, quos ipsi non distinguunt, negarent, arrogantiam is omnino sequeretur. Miro certe phoenomeno, partes natura quasdam pro *vita uterina*,— alias puerili,— juvenili et virili quasdam pro aetate creat, anxie custodit, et his vitae stadiis demum absolutis, aut corrugat, aut abjicit, aut longiores in usus convertit. Quis testes in foetu et in puero,— ubera uterumque in sexu sequiore priusquam uterque

pubescat, vitam ducere, etsi conspicua illorum functio vel minime subsistat, negaverit? — Sua scilicet ac propria cuivis parti, aetati cuivis vivendi est ratio; et cum haec in usum per tempus trahuntur coeterisque dominantur organa: alia, asphyxiae quasi sub statu haerent, ac, donec futura ad officia a stimulo sibi proprio excitentur, ac suo demum potiantur imperio, tacite exspectent.

Quorsum vero, Auditores, dierum humanarum paucitatem confirmans, plures ac hucusque numerabant, has esse nunc fateor?... Sed haeccine est *vita*, de qua Parens medicinae locutus est? aut infantilis, puerilis forsitan hanc aetas, in qua aut fari, aut uti ratiocinio nequimus, constituet?... Vix ego primos, quos dicunt, annos juveniles revocare hùc auserim: quo nimirum sub stadio, levitatis, inconstantiae, delirii quamplurimum, — rationis vero, si paucos (rara parentum, tutorum cura et arte, breviores per vias maturationis ad punctum perductos) exceperim, perparum, observari concessum est. Decrepitae aetatis incommoda, sensuum singulorum obscuratio, vacillatio, jactura memoriae, ac infan-

tilis quasi imbecillitas, quin in hac ipsa, sensu saltem hippocratico, vivi concedam, vix non impediunt. Viriles igitur, ac senectutis necdum adeo provectae annos, vitam medici, hoc nomine dignam, constituere dicamus! hoc nempe sub stadio, nec tenera nimis, justove sensibiliora, nec obtusa, exhausta, sed singulis, quibus indigent, subsidiis instructa sunt organa; rerum, tactui nervorum oblatarum imagines copiosae, firmiter satis, nec tamen tenacius ac par est, sensibus impressae sunt, et pro lubitu conferri inter se, ac judicium formare possunt. Sed felici huic vitae particulae, vix octo lustris ampliori, detrahite illam Auditores, quam somno impendimus; quam virium per alimenta refectio, et justa magnis a laboribus quies, amica consortia, et corporis exercitia sibi expetunt; quam propriae familiae, ac rei domesticae cura expostulat; quam morbi diversi consumunt; ac tandem illam, quam hominum otiosorum, non evitanda semper, importunitas ac taediosa loquacitas nobis furantur, ac vix partem vitae humanae *quintam*, quae studio naturae morborumque consecretur, superesse concedetis.

Atqui eodem vitae brevis a pondere, praeter medicum, simul alios non minus premi viros litteratos, dici quidem potest; sed nihil aut breve, aut longum, quin aliis cum rebus conferatur, habendum est. Quodsi vero medici amplitudinem extensionemque studii considerem; naturae ipsius limites, quousque porriguntur, illius quoque confines constituunt, et in hoc quidem ars medica, scientia naturali, ac physica, quarum illa modo pars est seu filia, major aut amplior dici omnino non potest; ast si medici dignitas objecti, quod ipse homo constituit, — si rerum perscrutandarum obscuritas, summa densissimas per tenebras incedendi difficultas, et continua recto a tramite aberrandi, — non nisi per diuturnam experientiam quodammodo superanda, discrimina in censum ducantur; — si artis theoriam solam, etsi minus imperfectam, nisi longum in illa exercitium, et expeditae actionis habitudo accedat, medicum nequaquam efficere quis cogitet; fateatur is oportet, vitam cum tantis obstaculis pugnare coactam, quam in quavis altera scientia addiscenda; dici posse ac debere breviorem.

Quodsi haec ita se habeant, Auditores

ornatissimi! quanti vel quaevis hora pro illo veniat, qui studio medicinae se consecrat, vel sponte elucet. Non vano igitur consilio *Hippocrates*, ut medici educatio, puerili ab aetate inciperet, praescripsit. Hanc quidem ratiocinio ineptam esse posui; ast vero sensuum versus objecta, quae ad rectum judicium suo tempore contribuent, directio, — multiplex eorundem, et continua exercitatio, — rerum naturalium ex omni parte contemplandarum mature inducta consuetudo,— praeconceptae opinionis cujusvis e mente expulsio, — de rebus incertis dubitandi, veritatem propria cum industria quaerendi, detegendi inductum desiderium, — haec singula, quin tenerae aetatis vires exhauriant, aut robur corporis infrangant, breviorem hanc reddunt, radiorum solis in fructus per artem conversorum ad instar, celeriorem ad maturitatem, tum puerum, tum juvenem perducunt; ac dies, quas huic aetati detraxisse videntur; has *vitae*, cujus magis interest, *virili*, magno cum lucro superaddunt.

Est nempe certa, corporis animique inter habitum similitudo in eo, quo aluntur, crescunt, ac viribus augentur. Qui ad vi-

tam otiosam, mollem ac foemineam a parentibus damnatur, puer, — juvenis, cujus membra per artem gymnasticam nec robur sibi, nec firmitatem acquirunt: hi certe nec formâ corporis, nec agilitate, nec actionis constantia, virili in aetate praestabunt, sed flaccidi, inertes, vel minori a motu anhelosi, et nec bello gerendo, nec agro colendo pares, patriae inutiles, incedent. Ipsum, quod in multis minus, ac alterum, movetur, brachium sinistrum, dextro ab humeris haeret tenuius, flaccidius, ac vires, quas istud manifestat, nec a longe quidem possidet. Accedit et illud, quod unum, ex organis, pro altero, hinc inde quidem aliquomodo ac brevem temporis per moram supplere, — sed nunquam constanter ac debitum in modum officio, non suo, satisfacere cernatur. Qui cibos ori ingestos, dentium beneficio non conterit, et fontis salivalis affluxu mollem in pultem non convertit, sed siccum durumque solum avide ingurgitat, et stomacho latranti intrudit; is eundem, ad quem scilicet masticationis officium non pertinet, mox obruit. Quam vero crambem iniquam subigere hoc viscus recusat, sed debilioribus

se ipso intestinis solvendam committit: hanc nec ista melius comminuunt; et, quò bonum in succum convertatur, haud satis solvunt. Eâdem vero ratione, vel optimo quis ingenio a nativitate instructus sit; huic, nisi ex multis objectis, saepius ac omni ex parte conspectis, *idearum*, ut sic loquar, *alimentum* indies suggeratur, ac, quantitate forte, vel indole iniqua haustum, a cerebro, quod mentis quasi ventriculum constituit, debite subigatur; mens erit aut jejuna nimis, aut cibo non concocto, ac succis mali moris obruta, imbellis, laboribus vel quidquam protractis, nobilioribus, inepta et pigra in perpetuum haerebit.

Atque haec, quâ vitam medici longiorem reddamus, de artis vero longitudine quidquam rescindamus, altera, et in eo constituta est ratio: quod mentis occupationes non modo aetate minus provecta aggrediamur; sed inceptas, et promte magis, et securius, et simul jucundius prosequamur, absolvamus. Ad accelerandum hoc opus plura nobis hodiedum, quam aevo *Hippocratis*, subministrantur subsidia. Ut de sola corporis humani structura cognoscenda hìc loquar, pondus praeconceptae opinio-

nis tam grave et iniquum antiquioris aetatis artifices, superstitiosis undique populis medicinam facientes, premebat, ut vel ipsi adhuc *Galeno*, osseam corporis humani compagem, seu sceleton, conspiciendi gratia, *Pergamo* in *Aegyptum*, ad *scholam Alexandrinam* proficiscendi desiderium nasci debuerit. Ipsis *divi Augustini* temporibus, num hominis christiani cadaver cultro anatomico submitti liceret, disputatum fuit; ut conspicuum sit cum quantis obstaculis medicinae fundatoribus, ut hanc ipsam docerent, promoverent, fuerit pugnandum. Sed quam curta his simul suppellex fuerit in rebus, quae ad historiam naturalem, ad chemiam, ad physicam spectant, non minus est notum: ut ex hoc quoque pateat, quam lento passu ars inceperit, et quam vitae partem conspicuam sibi exigere, et consumere debuerit.

Quam felici igitur vos aevo nati estis, commilitones, ut quibus profectus in arte celeriores faciendi tanta hodie occasio offertur atque facilitas! Vita medica vos eo certe, quo plura vobis in scientia salutari colenda subsidia ad manus sunt, longiore gaudebitis; expectat vos interim magni mo-

menti, non reticenda hìc consideratio. Aquas oceano, quibuscunque demum machinis hydraulicis instructi, subtrahite quamplurimas! advectas tamen continuò tot fluminum divitias exhaurire, vel modo, ut in oculos hoc cadat, immensi illius alvei plenitudinem imminuere non poteritis. Elementa quidem artis theoretica, prout nostra haec tempora ferunt (antiquorum illis certe saniora) quin cum istis aut *Egyptus*, aut *Graecia* pervaganda sint, breviore via vobis acquiretis; sed, qualescunque sint artis, post tanta, et tam varios in modos repetita ubique tentamina, profectus; fateri tamen decet, quod hi soli, nisi longâ satis seduloque instituta morborum observatio, ac, rerum magistra, experientia, accedant; non magno aegrotis solatio esse queant. Atque hoc quidem sensu verum erit vetustum illud, *de bono theoretico, malo practico*, proverbium: non quod sana theoria morborum sanationi adversetur, aut ad illam non securius perducat; sed quod illa *sola*, a viro inexperto, quo decet loco, applicari vix queat. Tanta vero exercitii in morbis pertractandis continui, ut contractae habitudinis auc-

toritas est: ut mihi ipsi, veterano licet medico, quoties officii alterius, aut virium restaurandarum ratione, vel unicum per mensem aegrorum a lectulis arcerer; toties, ad istos reverso, primos saltem per dies, inassuetae pridem tarditas actionis sese obtulerit.

Quodsi ergo, accumulatis adeo, ab aevo *Hippocratis*, discendae medicinae subsidiis, et auctis immensum omnis generis notionibus theoreticis, *vitae* tamen *brevitati* non multum superadditum, — *artis* vero *longitudini* modo parum detractum fuerit; qua demum ratione hoc arduo in opere incedendum, et quae via tutior ac brevior calcanda sit, nunc breviter exponam.

Ac primo quidem, cuivis, templum *Aesculapii*, ut huic Deo, sacerdos, sacrificet, adituro, quid humeri ferant, quid vero recusent, longiore ac sincero examine eruendum est. — Ne quem, „opus a *Galeno* — a *Justiniano* honores promitti," antiquum proverbium seducat! aequo nimirum tempore, expensâ undique litterarum culturâ, non, ut pridem, a paucis, sed magno artificum ab exercitu res medica tractatur, — a quo divisae plures inter

cives divitiae et a luxu, ad summum fastigium evecto, temporumque injuria magis magisque imminutae, pretia vero rerum adaucta fuerunt: ab eo, si paucos, quos propitior fortuna juvit, excipiam, non tam aurea medicorum est industria. Atqui tamen, cum quondam, absoluto studiorum curriculo, pars juvenum vel maxima, aut sacris sese ordinibus, aut jurisprudentiae fovebat; — a quo sors Cleri in permultis Europae regionibus incertior est reddita, — a quo proles nobilium, quas quondam vel chartis diplomaticis nomen suum, ne litteras olerent, subscribere pudebat; legislatorum nunc, judicum, causidicorumque officia ambire, atque, suorum auctoritatê suffulti, coeteris fere exclusis, consequi ceperunt: ab eo, inquam, tempore insignis juvenum, egenis, vel inconspicuis a parentibus natorum, numerus, qui aut nomen dare militiae, aut opifices agere, aut agros colere utilius potuisset, artis medicae ad studia, quin conditionum ab istis positarum rationes iniverit, se confert. Non minus igitur ut juvenes haec tam ardua ad studia dispositos, ex omni classe civium invitem, alliciam; quam ut

hebetes ingenio ac ineptos ab iisdem avertam, quae dotes medico futuro deesse haud possint, hìc eruam.

Ac primo quidem, ne rerum omnium, et potentis adeo amici egenus hanc sibi partem studiorum arripiat, iterum iterumque monendus est. Quidquid enim a Superis ingenii huic concessum sit; id ipsum, panis, medio illorum sub cursu, per alios labores sibi lucrandi imposita necessitas, extensa multos per annos propriae miseriae sensatio, ac justa indignatio, omne suffocabit. Nisi sponte desisterent; majore fortuna instructos, ut quibus necessaria in arduis longisque laboribus constantia rarius conceditur, hoc a studio arcerem.

Cui corpus firmum, et sanum, et debitam ad formam constructum, a natura negatum fuit: huic, medicinam ut faciat, consilium vix darem. Etsi enim virorum, aut gracili, aut deformi corporis structura notatorum, aut inconstante valetudine praeditorum, qui in arte inclaruerint, conspicua exempla non desint; praeter illud tamen, quod (jam Hippocrate monente) qui ipse morboso semper habitu incedit, aliis

posse melius consulere, multis non videbitur; et quod aegri, et inique formati corporis adspectus non paucos ingrate satis feriat; tantas sibi vires musculares medicinae exercitium, diu noctuvae miseris praestandum, sibi exigit; — tantas scalarum ascensus, descensus, itinera per vias asperas, saxosas, continuò, et sub quavis aeris intemperie suscepta, consumant; — tam magna sunt corporis infirmi debilisque, circa morbos contagiosos versantis infectionis discrimina: ut aes triplex illi in praecordiis haereat necesse sit, qui tantis jam ipse aerumnis obrutus, aliorum illis succurrere praetendit.

Nec sanitas in genere hìc sufficit; sed *sensuum* imprimis organa, ut perfecta sint, ac ut talia sat diu conserventur, requiritur. Cordis, arteriarum motus et varia sub morbis vibratio, mutatio, exanthematum diversorum, ad cutis superficiem efflorescentia, serosa colluvies, abscessus profunde latitantes, calculi vesicae, caries ossium occulta, oris uterini apud praegnantes, parturientes apud mulieres, foetûs ipsius in istis positio, qua recte explorentur, *tactûs* instrumenta sibi integra, nec rigida,

vel aspera, vel callosa, sed acuto sensu praedita exposcunt. Chirurgiam hinc ut matronam venerabilem, cui *oculus digidi indicis ad apicem apertus* exstat, non minus eleganter, quam vere depingunt.

Quemadmodum vero nervos tactui praefixos, ita et illos, qui musculis ad motum membrorum concessi sunt, suo frui imperio oportet. Firmitatem manuum chirurgicae operationes vix non omnes sibi exigunt; ac tremor illarum, non paucis, cataractae extractioni, venarumque sectioni submissis, funestus fuit: quam ob rem, quid a chirurgo, nimiam per venerem exhausto, vel immoderato spirituosorum potatore, vel ad rudiores labores campestres, domesticos coacto, exspectandum sit, facile eruitur: ut vel ipsius artis obstetriciae frequens exercitium, ad subtiliores chirurgiae operationes manus reddat minus dispositas.

Oculorum aciem chirurgo necessariam, ad unum omnes fatentur; sed et medicum visûs imperfectio, sub instituendo morborum examine, sub judicio de indole illorum et exitu ferendo, non parum impediat necesse est. Vel solo aegrotorum

diversorum ex aspectu, quo hi malo teneantur, acuto et experto ab oculo haud raro eruitur; et sicut sanitas, ita et morbus, vultum sibi proprium agnoscit et offert. Exanthematum, impetiginum, oculorum a judicio pendet, difficilis in multis diagnosis.

Quis *auditu* gravi instructus, hominum fortiore ex morbo languentium querelas, voce rauca, vel a longis suspiriis intercepta prolatas, quin, repetitis quaestionibus, aegroto molestus reddatur, distinguet? Vox ipsa certe aegroti, aut sonora, aut obscura, aut acuta, aut gravis, aut firma, aut tremula, intersecta, vel stridula, clangosa, non exiguum in morbis diversis, quod tamen surdescentem medicum saepe fugiet, signum offert. Stridor dentium, stertor in pectore, tam gravia saepe ac lethalia in multis morbis symptomata, istum vix tangunt. Ossis fracti subtilem fragorem, auditu gravi stipatus non percipit chirurgus etc.

Olfactum in medico, aut in chirurgo deletum tam graves noxas vix sequi, credunt rerum ignari. Est tamen, ubi ille, vel ex solo sudore, vapidum acetum olen-

te, ad miliare exanthema, — est ubi ex odore specifico, ad variolas, ad vermes, ad morbos infantiles ex acido, — est ubi ex animae foetore, ad oris, narium, aut pulmonum ad ulcera concludat. Ex saniei proprio foetore, iste, ossis cariem, ulcus malignum, cancrosum distinguit.

Saporis abolitionem, rariorem utpote affectionem, cum nulla ad lectos aegrorum gustandi occasio, quae aliis committi non posset, occurrat; pauca quidem in medico premit difficultas. Urinae, in *diabete*, rarissime certe morbo, examinandae necessitatem, jam sitis extrema, nec potu satis fallenda, urinae quantitas hoc major et insignis, color lotii stramineus, turbata quidquam ejusdem pelluciditas ac mellis odor, infrangent. Num sacchari principia animale hoc liquidum contineat, chemia docebit. Cum tamen de oris organo hic sermo fit, monendum est, *balbutiem* quidem in medico ab aegrotis ferri graviter; sed animae foetorem, sine conspicuo horrore, tolerari a nemine.

Sed nullus certe morbus hunc ipsum majori cum jure aegrotis, quam *malum* medici, chirurgi, *caducum*, *epilepticum*,

inspirat. Quid malorum terror improvisus mulieri praegnanti, sub partu constitutae, puerperae, hystericae, quid febrium, acutarum imprimis, et exanthematum in classe, producere queat, abunde est notum: ut hic morbus truculentus, per solum aspectum, in praesentes transierit, ac ipsos adeo foetus in utero contaminasse sit visus.

Sic varias conditiones, quas artis medicae studium, exercitium praescribit, ac morbos potissimos, — sed, ne taedium crearem, certe non omnes, quos hoc ultimum excludit, adduxi. Sed quantum simul interest, Auditores, *sanam* quoque *mentem* in corpore sano habitare!...

De felicioris necessitate ingenii ad artem perdifficilem ac longam, sub vita tam brevi, cum fructu colendam, jam dixi. Sunt vero, quibus natura in hoc satis indulsisse videatur: qui tamen (non tam rara in rebus humanis fatalitate) mentem, aut certas ad periodos, aut porrectâ quae eandem aliquomodo concuteret, leviori occasione, mox recto a tramite aberrare, et sapientiam *dementiae*, stultitiam sapientiae, nexu flebilissimo junctum offerre

observentur. Discipulorum, quos in arte salutari addiscenda conduxi, tam insigni sub numero, fuerunt aliqui, in quibus mentis, coeterum acutae, hoc vitium, nec sodales detexerant, nec ipsemet erueram: Atqui tamen, cum vel minime de istis cogitassem, aut ipso aegrorum sub examine, aut sub longiore morbi pertractatione, primo quidem inhonestius sese conducere, in rixas deinde inexspectatas et ridiculas, — mox vero in *maniae* paroxysmos prorumpere, post hos vero, aut breves, aut longas, iterum consipiscere coeperunt. Quam misera sors aegrorum est, quibus, aut quorum affinibus, amicis forte insciis, talia delirante cum medico succedunt! et quanta in arcendis a studio medicinae juvenibus, aut haereditario ex vitio, aut aliis ex causis, de mania periodica suspectis, cura ponenda est! — Sed nonne, qui bacho frequentius aut continuò indulgent, ac toties ex mero delirant, eadem aegrotantibus pericula portendunt?

Sed vellent Superi, ne alia mentis vitia, arti tam divinae maculam frequentius inurerent! et ne ad talia praedispositi, Apollinis aram vel a longe salutarent! fugiant

hanc illi, (nam supplex id genus humanum, tot jam aliis aerumnis oppressum, precatur) qui scientiae tam arduae cum indefessa industria ulterius excolendae, promovendae, necessitatem haud sentiunt!— fugiant, quibus nullam usquam miseriae aliorum lacrymam eliciunt! — fugiant, qui opem aliis, nisi aurum sibi splendeat, praestare recusant, avari! — fugiant, ne familiarum innocentiam, fidelitatem pessumdent, lascivi! — insidiosi, rixosi homines, quibus nulla cum sociis in arte concordia est, arrogantes et superbi, qui solis sibi sapiunt, — mendaces, qui, tot circumforeanorum exemplis innixi, vel ephemerâ ut gloria in arte potiantur, vel cupidine divitiarum inducti, experimenta fingere nunquam instituta, aut sic dicta specifica, arcana, medicamina credulis, cum summo salutis detrimento offerre auderent, — loquaces et garruli, quibus nulla aegrorum confessio, quemcunque demum divulgatio istius effectum haberet, sacra foret, — fugiant hi omnes et alii, qui, moribus corrupti, artem magnam, saluti tuendae, reddendae constitutam, morbis

ipsis societati humanae funestiorem reddituri sunt.

Superest, Auditores ornatissimi, ut, qua ratione, absolutis meliorem ad modum, theoriae medicae principiis, eorundem ad lectos aegrorum applicatio celerius ac minori cum taedio, hinc majori, pro vita brevi arte longa, cum fructu, addiscenda sit, exponam.

Quibus auxiliis studiorum medicorum supremi Antistites optatum hunc finem attingere, — quomodo vero artis salutaris publici Magistri promovere hunc possint; id primùm in Oratione academica*), — mox vero in altero, quo votis Protectorum Academiae *Genuensis* humanissimis satisfacerem, exarato opusculo**), — fusius autem jussu *immortalis* JOSEPHI *II. Germanorum summi Imperatoris*, et proposui, et in celeberrima *Ticinensium* Universitate, in usum, — experientia felici novendecim annorum nunc satis confirmatum, duxi; ac demum tanti ponderis argumentum hoc ipsum, *Augustissimi Ger-*

*) De instituendo ad praxin medico. Ticini.

**) Plân d'Ecole Clinique. Vienne.

manorum et Austriae Imperatoris, Francisci II. ex mandato, ad majorem perfectionem, etsi uterque hic labor typis necdum evulgatus prodierit, redigere conatus sum.

Ne de numero et ordine lectionum, quas medica juventus *Ticinensis* frequentandas habebat, hic loquar, sufficit notasse: quod, etsi haec jam studii philosophici ultimo sub anno (ut parti historiae naturalis conspicuae) *anatomiae* quoque *humanae elementis* operam navare debuerit, *quinque* nihilominus *annos* pro discenda medicina, et arcte huic juncta chirurgia, fuisse praescriptos;— non unam ex singulis praelectionibus fuisse, quae non alteri, sequenti, quasi manum porrexisset, ac discipulos ad istam mature praeparasset. Quae doctrina, meliorem ad captum, exemplis a natura petitis, vel experimentis quibuscunque illustrari potuerat: ea nunquam ab istis sejuncta tradebatur. Si *therapiae specialis*, et *clinici instituti* labores excipiam, quos, ob rerum divitias et majorem auctoritatem, duorum curriculo annorum extendi conveniebat, nulla alia materia longiori, ac

unius anni spatio, potuerat absolvi. *Botanices*, *chemiae*, *anatomes* doctrinam absolutam, quo magis animo haereret, altero quoque anno frequentari, aut repeti, lex erat. Ut, artis pharmaceuticae principia jam satis edocti, rationis, qua haec in usum ponenda essent, jejuni haud essent studiosi, officina pharmaceutica, vel sic dictum *pharmacopolium normale* constitutum, et ab omnibus frequentari injunctum fuit: qua in officina, sub experto in arte magistro, quaevis medicaminum, tum simplicium, tum compositorum, praeparatio, ac denique formularum medicarum legitima expeditio, coram oculis illorum absolvi, explicari debuerat. — Ne morborum, et quae his propria sunt, symptomatum, causarumque explicatio, siccis modo coloribus, qui imagines sat fidas, constantes, exprimere haud queunt, traderetur; doctrinae hujus candidati, ter quavis in hebdomade, a magistro, in medicinae exercitio quamplurimum versato, ipsos aegrorum, in nosodochio *academico* degentium, ac morbo describendo affectorum, ad lectos ducebantur, ac quidquid *pathologicas*, notiones concernebat, ad eosdem docebantur.

Quae vero notatu digna objecta, in praelectionibus physiologicis, pathologicis, therapeuticis, studiosae juventutis oculis exponi illico et illustrari juvabat: ea in *tribus*, separatis, *museis*, hunc ad finem erectis,— uno scilicet, quod ad *anatomiam* et *physiologiam humanam* spectaret,— altero, quod ad *comparativam*, ut vocant, *anatomen* pertineret,— ac tertio, quod ad *pathologiae* illam attineret, custodiri, et quotannis conspicuum in modum augeri, curabatur. Absoluto quidem anno studiorum *quarto*, examen rigorosum, duabus horis extensum, adiri,— et sub hoc, etsi pars quaevis medicae scientiae Romano sermone tradita fuisset, quo vellet, idiomate, respondere, cuilibet patebat; quidquod, ut major candidatis, quòd solent, timore concussis, oppressis (nec injusto rigore, nec inurbanum in modum nunc magis opprimendis, confundendis) facilitas daretur; ipsa, quorum descriptio petebatur, objecta anatomica, botanica, pharmaceutica, oculis exposita coram demonstranda jacebant; sed hoc ipsum examen, quamvis cum honore absolutum, artis tamen exercendae facultatem, quin alterum

per annum multorum curae aegrorum, pro lubitu, vel ipso in clinico instituto academico, vel in majori *Insubriae* nosodochio, sub digno magistro, interfuisset, quin, sub fine illius, tres morbos, in clinico Instituto, publice, ac sub oculis professoris, cum laude pertractasset, — quin illorum historias concinne exaratas, medicae facultati legendas obtulisset, — quin, novo demum examini de rebus practici argumenti *medicorum Collegio* supremo, submissus, ac ab isto confirmatus fuisset, nemini concedebat.

Studiorum simplicissima haec methodus, artem medicam ad lectos aegrorum breviore via discendi occasionem sane jam plurimam suggessit. Primo vero anno, quo clinicum institutum adire inceperant, hac ipsa sic usi sunt discipuli, ut *spectatoris* magis, quam *medici curantis* vices sibi assumerent. Sub labore scilicet tam novo ac insolito, primum est, sinceram morbi cujusvis oblati ac symptomatum effigiem indefesse intueri, illorum originibus, principiis, decursu quotidiano, incremento ac fini animum attentum praebere; methodi medendi effectus, aut felices, aut inutiles, funestos,

diligentissime rimari; cadaverum sectionibus, quibus causae sedesque morborum lethalium *Morgagniana* sedulitate ac perspicacia detegantur, ab istorum vero effectibus probe distinguantur, assidue interesse; singula cum illis, quae pathologiae ac therapiae specialis praelectionibus audiverunt, conferre, et propriae, etsi tenerae, experientiae de his captae auctoritate illustrare, confirmare, — aut prudens adeo in dubium vocare.

Nulli vero, in plurima ac diversa simul objecta attento, tam felix concessa est memoria, quin eorum, quae circa aegros a Praeceptore, vel propriae observationis ex penû tracta, vel Auctorum medicorum ex divitiis hausta, referuntur, — tum ex ipsa morborum conspectorum natura sponte discuntur, — nisi haec quotidiana, cum industria notentur, posset oblivisci, et sic messe, quam collegerat, frustrari.

Sed singulis, quae discipulo notanda esse videntur, modo invicem congestis, nec certum in ordinem distributis; in immensam et obscuram haec sylvam excrescent, e qua fructus, quo, urgente casu, memoria alenda est, decerpi haud queat. Hinc pa-

tet, vel solius gratiâ ordinis et memoriae, *systema* quoddam *nosologicum*, quo et *classes*, et *ordines*, et *genera*, et *species* morborum, more botanicis consueto, constitui, — quaevis suo quasi loculo ordinari, ac, quoties necessitas id exigit, sine magno labore extrahi ac in usum duci queant, requiri. Quo systemate nosologico utamur, etsi illud *Cullenii* magis mihi arrideat, tanti quidem haud interest; nullum enim, quod satis perfectum sit, et quod natura pro suo agnoscat, hucusque possidemus.

Idem, eheu! de omni *medicinae systemate* dicendum est, nec medicam juventutem exhortari satis possum, ne ex cognitis alicui, naturam (artificialis violentiae indocilem) subjiciendo, huic ipsi vim faciat ac scientiae adhucdum imperfectae progressus necessarios, possibiles, retardet aut suffocet. Ex quovis quidem flore, mellis quidquam apum industria sugit; et latet in cujusvis systematis nectario humor, qui colligi et quoscunque demum in usus converti mereatur. Recentiorum adeo systemata, neglectis pridem, *vitalitatis principiis* magis innixa, non parum lucis in arte ac-

cenderunt; sed, quod, ad primum novi astri exortum, alta satis voce monueram, *sol* necdum ipse nobis apparuit, et quem illud, sub certis positionibus, splendorem spargit; hunc, sub aliis, in densam caliginem convertit. Si quod unquam in arte medica systema satis fidum certumque sperandum sit: id sane causarum, quibus regimur, ex scrutinio eruatur oportet. Sed quantùm intima istarum nos fugit, semperque fugiet cognitio! et quanta mortales, sub tanta rerum penuria, decet humilitas!

Sola hinc illorum, quae in homine, non minus sano, quam aegroto, contingunt, et effectuum, quos res aliae quaecunque, etsi minus cognitae, utroque sub statu in hunc exserunt, attenta et frequens in omni parte *observatio*, et, quam res debitum in modum observatae in memoria relinquunt, *experientia*, istarumque ad cognitas eventûs leges pertractandarum *habitudo*, filum vobis Ariadneum, quo duce ex tanto labyrintho exitum felicem quaeratis, sat fidum exhibebunt.

Arripite hunc, sodales, gressuque lento et canto, ne facto illa impetu rumpatur, incedite. Sub tanta vero loci caligine, illo-

rum maxime vestigia, qui tot felices, obstacula superarunt, spe pleni premite! si ulla hominum in classe, — apud illam medicorum, *in senibus consilium est*, nec vos systematum, quae hi, a vestro diversa, profitentur, ratio, qua illorum auxilio, auctoritati renuncietis, vos moveat! Cuivis nempe aetati scholae medicae cuivis, in rebus theoreticis, sua est ac propria hypothesis; et quaevis ex istis, rem, suum melius, quam alium in modum, explicari pertinaciter praetendit; sed tanti haec ponderis ne credite, vel enim in *scorbuto*, putredinis in sanguine hypotheticum ob metum, quis cruorem non mittendum, — alter vero, propter virium vitalium jacturam, venas nequaquam sauciandas esse credat: modo eadem ex diversa opinione conclusio trahatur, parum sane interest. Militem veteranum, cicatricibus obtectum, tiro militaris, etsi claudicantem, etsi in armis ad ostentationem gerendis, tractandis, se ipso minus agilem, pie nihilominus veneratur; cur illi, qui morbos omnis generis millenos strenue, ac sui nominis cum gloria oppugnavit, et quarumcunque demum hypothesium sortem nimis

jam edoctus fuit, cultus a junioribus in arte medica non idem foret praestandus? horum igitur, commilitones, societatem virorum vos ambire, res gestas audire, diu noctuque rimari, et exemplis doceri, conducet; sed juvabit quoque vestros labores vel inter vos ipsos, sodali cum amicitia conferre, dubia, quae supersunt, vobis ipsis mutuo opponere, ac nisi solvantur, docentis consilia, quod ipse optabit, expetere.

Lectionem librorum, quam iste commendabit, utilium, vobis quidem commendo; sed non tam facilis res est, *legere*; ac librorum farrago, nisi lecta subigantur, succusque istorum, suis a faecibus depuretur, mentem juvenilem magis replere, infarcire, quam vere nutrire observatur. Plures hinc miratus sum tirones, ex hac illave schola, ad meam quoque conversos, stupenda quidem singulorum, quae typis quondam prodierant, eruditione armatos; sed tantarum aquarum ubi fundum inquirerem; hoc satis limoso, aut, cui ancora vix haereret, arenoso, fuisse instructos, detexi. Encyclopediam hinc et diaria litteraria multorum capita tironum nunc olent; sed vera imbutum scientia cerebrum, pauci ex illis con-

tinent; ac licet acti quondam temporis laudator, senex dicatur; vix tamen, si auctum, eorum, qui se medicis nunc studiis tradunt, numerum considerem; plures, aevum nuper elapsum, profunde doctos viros, ac hodiernum quidem promittat, dedisse, — *Boerhavii*, *Gaubii*, *Albini*, *Halleri*, *Morgagnii*, *Hoffmanni*, *Stahlii*, *Senaci*, *Swietenii*, *Haenii*, *Trallesii*, *Brendelii*, *Werlhofii*, *Borserii*, *Tissoti*, *Zimmermanni*, *Stollii*, *Wichmanni*, aliorumque exemplis fretus, asserere non ausérim. Majori scilicet pretio venit, quam quo nunc temporis acquiri plerumque velit, medica scientia; et qui se omnem huic tradere recusat; illi certe vita brevis ars longa nimis erit, quam ut tantos aequare viros, quidquid ingenii sibi concessum sit, valeat.

Sed tamen vestrum haec animum ne dejiciant, sodales! grave quidem et nimis laboriosum est medici, quo vitae quidquam brevitati superaddat, et artis longitudini quid detrahat, officium; sed nec arcum semper ipse tendit *Apollo*, et in ipsa laborum susceptorum varietate haeret aliqua delectatio, mentisque jam fractae recreatio. Naturae vos studium, medicinae illi

tam affine, tamque gratum, defessos hinc inde reficiet; bonorum, litterisque deditorum virorum, — familiarum, quae suam vobis vitam tuendam committunt, etsi nulla nunc aegritudine detentarum, tam utilis et his futuro in morbo, societas, — teneros prolibus parentes servasse, hasque sepulchro jam vicinas illorum amplexui restituisse, artem ipsam promovisse, et generi humano praesenti, posterisque vixisse, conscientia, — haec vobis amplissimum, et solum, cujus interest, praemium constituent.

INTERPRETATIONUM
C L I N I C A R U M
SECUNDI VOLUMINIS
F R A G M E N T U M.

MORBUS NIGER HIPPOCRATIS.

Ladislaus, coenobii *Rastadiensis* ad S. Franciscum praepositus, quinquaginta et aliquot annos natus, dum primis vitae suae monasticae temporibus ad cantus ecclesiasticos altiore voce edendos, a superioribus coactus fuisset, haemoptysin est passus. Studiis posthinc theologicis ac vitae sedentariae, simul vero potui spirituosorum deditus, sub itinere haud arduo, a. 1771 suscepto; hic vir de oppressione ventriculi continua quidem, sed magnopere nunc aucta, conquestus est. Mense maji anni sequentis a febre tertiana aeger corripitur; quare, post victum huic minus adaequatum, evacuans alvum remedium is, sat blandum, optato cum effectu assumit, a porrecto nunc chinae cortice, febris abigitur quidem, oppressio interim ventriculi augetur continuo, ac tandem paucae materiae, saporis varii, aliquando amari, vo-

mitus subsequitur. Sub aspesctu pallido, subflavo, mense junio, alvi fluxus spontaneus aegrum prehendit, post duos jam dies, spirituosorum abusu cohibitus. Sequuntur nunc major virium prostratio, lipothymiae instantis sensatio, ructus, ac intestinorum dolores. Sordes in istis suspicati, aquam laxativam Viennensium praescribimus. Post usum istius, radicis cichorei sylvestris decoctum, cum extracti centauri minoris, ac liquoris anodyni mineralis portione, ter in die sumendum, aegro praescribitur; a secunda vero hujus remedii dosi, dimidium ad vasculum porrecta, sanguinem ille nigrum, fere piceum; majora in frusta coactum, ciborumque reliquiis commistum, duas ad libras et ultra per vomitum rejecit. In grave nunc animi deliquium, sub oris contorsione, oculorum perversione, ac tandem in veram asphyxiam miser conjicitur. Tam tristi rerum sub statu, cavum oris faucesque a cruore congrumato repletas conspicientes: quò viae, respirando aeri dicatae, quam promtissime possent, liberarentur obstaculo, digitos, quam profunde licebat, faucibus aegri immisimus, grumosque san-

guinis ex iisdem sollicite retraximus. Consuetos nunc in asphyxia debellanda stimulos, — sed, ne sedatam vix haemorrhagiam internam conatu nimio revocarémus, cauta quidem manu, non tamen minus felici effectu adhibuimus. Ab enemate tardius injecto, faeces quidem copiosae, solidiores ac brunei coloris, sed nullo cruore tinctae, expulsae fuerunt. Lenta fuit aegri exhausti convalescentia: sub qua selteranas aquas cum lacte, aegro, ne tamen ventriculo infensae essent, moderatis haustibus sumendas porreximus. Crescente quidquam ciborum solidorum desiderio, quod nulla hìc febris obstaret, carnes quidem teneras pulli, — sed, quod hae mox novas intestinorum turbas induxerint, immaturo satis consilio eas concessimus. Leviora ex vegetabilibus alimenta, sat longo tempore stomachus, praeter carnium juscula, sola pertulit. Plures tunc per annos valetudine sat bona vir hic religiosus, ut audivimus, gavisus; sed aliuc transvectus, quo fato, nescimus, in morbum pristinum conjectus fuit.

EPICRISIS.

Tanti quidem ponderis, senioribus medicis, quibus scilicet, ut nobis ipsis, majora quondam hujus morbi exempla oblata fuerint, praesens non videbitur esse observatio; gaudeant hi nihilominus, si juvenes ut nos quidem tunc fuimus, graviores in pertractandis dirae hujus indolis adfectibus, errores haud ipsi commiserint! Non exiguum sane, nos, ea in aetate, qua plures scyllam charybdinque praeternavigantes, acûs nautilae defectu, solent, naufragium non esse passos, est nunc nobis solatio; atque haec juventutem medicam, pro qua scilicet ista potissime referimus, meminisse juvabit. Quantos nempe abusus aetas, nostra quidquam anterior, in administrando mox aegris, de quadam vix oppressione ventriculi aut vomituritione conquerentibus, maxime si praevie quidquam in selectu aut quantitate ciborum deliquisse videbantur, *emetico*, sibi concesserint, tum alia occasione docuimus *), tum plura aegrorum,

*) De larvis morborum biliosis, prolusio academica. Goettingae, 1784; recusa in delectus nostri opusculorum medicorum tomo I. p. 179; potis-

sub ipsa hujus remedii actione, animam cum proprio cruore efflantium, fata commonstrarunt. Sunt vero et alia, nec pro viris in arte medendi exercitatis commemoratione indigna, in nostra observatione momenta. Quodsi nempe, post pneumonorrhagiae in juventute perpessionem, novum quondam eodem in homine sanguinis profluvium praevideri licuisset: hoc sane ex viis, quas istud jam pridem inivérat, exspectari potuisset; ast vero, primò; minus ad istas morbose adperiendas aetas jam adulta proclivis est; secundò, tam ipse ille Patrum *St. Francisci* cantus effrenis, aut voce etiam nimis profunda, *carthusianis* monacis solita, peractus, qui junioribus adhuc viris religiosis toties cruoris per pulmones fugam provocat: in aetate eorum provecta, sanguinis ex vasis abdominalibus per illos ascensui remoram ponens, ventris in organa impetum facit, atque congestiones eorundem in venis ac, praeter haemorrhoides earumque soboles, numerosas adeo *hernias* inducit *). Oratores publi-

sime vero in Epitomes de cur. homin. morb. Lib. V. §. 613.

*) Hernias carthusianorum frequentes, quas ex

cos, cantores scenicos aut alios, similia fere, nisi cautiores, pericula exspectant. Major interim tam studiorum, quam vitae desidis ac potûs spirituosi ratio in morbo, quem hic descripsimus, creando fuisse videtur. Suspecta saltem sit, oportet, sub tali vitae genere, ac in subjecto adulto, aspectûs, ut vocarunt, atrabilarii, vel cui habitualis quondam haemorrhois aut menstrui aetati conveniens fluxus suppressi fuerunt, quaevis cardialgia longum in tempus extensa, nec tamen, ut a calculo felleo fieri consuevit, quodammodo periodica, sed instantis sensu lipothymiae frequenter conjuncta.

---

victu vegetabili ac severiore a carnibus abstinentia, maxime vero ex quotidiano ad cibos condiendos olei usu derivarunt alii: eas quidem ex emaciati, flaccidi et aspectu quasi cachectici monachorum istorum infracto totius corporis tenore, — sed, cum solidorum haec infirmitas non magis ad ventris confinia, quam aliis in partibus locum inveniat; et cum omnes regionum meridionalium populi oleo sine damno salutis vescantur, nec istud magis quam usitatum alibi butyrum fibras relaxet; ex cantu potius protracto, lento, ac voce profunda edendo, locale illud vitium repetimus.

FEBRIS INTERMITTENS CUM HAEMATEMESI.

Virgo, annum aetatis trigesimum agens, secunda valetudine semper gravisa, declinante mense majo 1788 incidit in febrem intermittentem: haec, primis diebus, typum tertianae simplicis servabat; ubi vero tumor ac dolor in regione lienis oborti essent, mitior quidem febris facta est; sed paroxysmi ejusdem longius in tempus decurrebant. Tunc medendi methodus, quae primum observata fuerat, deobstruens, alterius medici consilio, in anodynam ac emollientem conversa fuit. Videbatur revera morbus in melius verti; at, summa anxietate deinde correpta, multum sanguinis coacti, nigri foetidique aegra evomuit: quod, cum iterum, sub mensis septembris initio, contigisset: accersitus fuit medicus, qui febricitantem eandem, viribus fractam, et adeo pallidam conspexit, ut nec oris quidem labia quidquam ruberent. Totus corporis habitus mollis, pedes oedematosi, respiratio a minimo motu, difficilis, lien magnus, ab attactu dolens, erant. Aderant cordis palpitatio, lipothymiae, aurium

susurrus, febricula lenta, a pastu vesperique exacerbata. Adpetitus ciborum interim vegetus, nulla tussis, sudor nullus, virginem vexabant. Porrectus fuit chinae cortex cum tinctura martis tartarisata. Tantum haec effectum praestiterunt: ut febris primùm, dein tumor lienis sensim evanescerent, viresque aegra recuperaverit. Tandem usu limaturae martis cum extracto myrrhae, catamenia, quae ab anno restiterant, eruperunt.

EPICRISIS.

Frequens apud Insubros *lienis physconia* est, et quae *Hippocrates* de magnis lienibus atque de crurum, hac sub splenis adfectione, ulceribus scripsit: ea, quamvis de *scorbuto* vir magnus expresse non sit locutus; aut morbi hujus ipsius, aut dispositionis ad illum, imaginem, plebi regionis illius fere propriam, apprime depingunt. Diu nimis omnis lienis conspicuus quidquam tumor, pro ejusdem visceris *obstructione* medicis imposuit, quamvis injectiones anatomicae et hoc sub statu felicissime per illud susceptae, de vasorum integritate atque aucta

potius, quam imminuta diametro testentur. Non semel, sed saepius nos periodicae ad lienem, sub febris intermittentis paroxysmis, intumescentiae ejusdemque visceris, post accessionem febris, collapsûs, testes fuimus, de quibus et *Burserius*, ut saepe conspecto a se phoenomeno, loquitur *). Extensa in longum latumque oryzae apud *Insubros* cultura, paludum, quas haec sibi exigit, artificialium, rusticorum in corpora, parum admodum nutrita, influxus, ac febrium intermittentium pedissequa cohors, endemicum hoc, illius regionis, splenis augmentum abnorme, vix tamen aliâ, quam servitutis, quam sibi socia in viscera usurpat, ratione morbosum, inducunt. Frequentiorem nos *insubrico* sub coelo, quam aut *Rheni*, aut *Danubii*, aut *Viliae*, aut *Nevae* ad littora, haematemesin, morbumque, huic adfinem, nigrum *Hippocratis*, conspeximus. Menstruorum quidem atque haemorrhoidum, lege habitudinis quondam fluentium, suppressio, plerumque cruentum hunc vomitum, ut alibi locorum, et hic praecesserat; ast vero, cum (vel at-

---

*) Institut. medicar. §. 133. p. 94.

mosphaerae gelidioris in vasa cutis constringente effectu, vel spirituosorum abusu) nullibi terrarum, sic ut *Poloniae Russiaeque* in imperiis, haemorrhoidum nunc immanem in modum turgeant, nunc abundantius fluant, nunc vero suppressae, aliorum canales sanguiferos viscerum inundent ac obruant; non tamen idcirco vel septentrionales apud populos, vel rhenanis in provinciis, vel in Austria, aut physconia lienalis praecipue, aut ipsa haematemesis, tam frequentem, quam apud *Insubros*, locum inveniunt.

Virgo, cujus morbum hic brevis historia exposuit, febre tertiana laboravit legitima: cujus tamen symptoma, *haematemesis*, modo paucis in paroxysmis comparuit ipsa; comparuerunt vero, sub febris accessionibus, et tumor, et dolor lienis: qui satis de facta tunc temporis cruoris in vasis lienalibus congestione periodica, et in aliis febricitantibus non infrequente, ut monuimus, symptomate, testari potuerunt. Quamvis autem haud alias, nobis quidem, sub quinquaginta et quatuor annorum exercitio medico, *febris intermittens haematemetica* occurrerit; nihilominus, tam frequens

lienis a febribus, ex classe intermittentium, diutius protractis, turgor auctaque moles, plerumque a dicta cruoris in vasis splenicis congestione magis, quam a vera *obstructione* hujus visceris, originem traxisse, ac per promtam satis peruviani corticis administrationem sicut praeveniri, ita et praesentes, nisi nimis diu neglectos, haud raro sanari potuisse videntur. Sic mulier cum febre quartana rebelli simulque cum subsequa lienis duritie ac mole ingente, *Bruchsaliae*, quadraginta quatuor abhinc annis, nostrum quoque pro morbo urgente consilium efflagitans, accessit. Resolventium ac amarorum omne genus remediorum misera jam diu, absque ullo successu assumpserat. Cum vero solam a chinae cortice, subtilis sub forma pulveris porrecto, opem nos exspectassemus: fatalem potius, sub tanta, ut ajebat, *lienis obstructione,* ab usu istius, morbi exitum reformidavit, egregius licet nobisque amicus, medicus. Nostro interim obsecundans aegra, hydropi jam proxima, consilio, duarum intervallo hebdomadum, primò quidem a febre, mox vero lienis a tumore, sub aucta urinarum secretione, liberata, lares proprios sana repetiit. Quo-

tiescunque interim aut nulla febris periodica lienis volumen duritiemque abnormem, sed causae quaevis aliae, praecesserint; aut illius, jam pridem deletae, nulla sese amplius obtulerint vestigia: toties, experientia duce, nisi pessimus, non certe tam specificus corticis effectus exspectandus est.

HAEMATEMESIS CONVULSIVA *).

Anna Seip, sanis exorta parentibus, annum aetatis decimum tertium feliciter attigerat, cum pedem, lapsu infausto, sibi fregerit. Hoc a malo restituta, anno decimo quinto aetatis, tempore verno, a febre tertiana sex per hebdomadas vexata fuit. Anno sequente, peripneumonia virginem invasit, a qua, *Viennensi* in xenodochio, per venaesectiones liberata fuit. Paternam ad domum reversae, adhuc debili, prima se menstrua, sub diris ad regionem uteri doloribus, exigua modo copia accedunt. Nocte sequente, nauseam summam vomitumque, cum rejectione quatuor ascaridum lumbricoidum tum oris, tum narium e cavo aegra patitur. Accersitus medicus, plures adhuc vermes, ut morbi causam, latere supponens, emeticum praescripsit; a quo trigesies vomitus ac pluries alvus movebantur, quin misera vermem excreverit; ultimo vero sub vomitu, insignis cruoris copia rejecta fuit. Ad venaesectiones nunc confugit medicus, easque, si fides aegrae

*) Historiam conscripsit Josephus Buchwald, M.C.

habenda sit, vigesies et quinquies repetit; omne vero abdomen abhinc in tumorem elevari perspiciens, aegram ille sibi ipsi relinquit. Felicior medici alterius, tunc accersiti industria fuit; et aegra convaluisse est visa, cum ejusdem anni die decimo et quinto mensis junii, febris quotidiana intermittens illam septies, matutinas ad horas, concuteret. Post invasionem ultimam; dum post meridiem purgando pavimento occuparetur atque vas aqua plenum, ponderosum levasset, punctorium ad sinistrum hypochondrium, — urentem vero ad pectus dolorem aegra illico persensit, statimque in animi deliquium incidit. Excitata ex isto, libram circiter sanguinis, per vomitum rejecit. Die sequente (16.) sat bene se habuit aegra; sed altera jam die (17.) horis matutinis, frigus breve, calor autem longior, ventriculi spasmus, et cordis palpitatio (jam a mense februarii labentis anni, quo primùm sibi menstrua fluere, atque sine debito ordine redire persenserat) solita, magna debilitas vomitusque cruentus miseram prehendunt.

Mensis junii die 18., haec aegra ad institutum clinicum delata, sequentia hìc ob

tulit symptomata: debilitatem, id est, magnam, calorem corporis satis moderatum, pulsus debiles, contractos, frequentes, linguam puram ac humidam cum sensu saporis dulcis, sitim auctam, titillationem faucium, deglutitionem tamen, ac alvi urinaeque excretionem liberam, tussiculam frequentem, quasi spasmodicam, molestum in latus sinistrum decubitum, ventriculi totiusque abdominis dolorem, ac singultum frequentem. Ob summam ventriculi intestinorumque sensibilitatem, emulsio oleosa cum grano opii paulatim sumenda praescribitur.

Die 19. Tussis nunc sicca; nunc sanguinis per illam *ex pulmonibus* rejectio, vomendi conatus, singultus, convulsiones, febris nulla, dolor ad pectus non minus, quam ad hypochondrium sinistrum.

Die 20. Nocte elapsa, donec comparuissent menstrua, augentur symptomata; matutinis interim jam horis, tussis, singultus, frigus, calor, convulsiones, pneumonorrhagia, accedunt. Sinistri ardor thoracis imminuitur. Praescribuntur pulveres ex moschi granis duobus, cum infusione

florum chamomillae, tinctura castorei ac aethere sulphurico.

Noctem, sub convulsionum dolorisque ad sinistrum thoracis latus augmento, insomnem transegit aegra. Vesicans emplastrum loco dolenti imponitur. Clyster ex asa foetida, vitello ovi subacta et infuso chamomillae injicitur. Liquor cornu cervi praescriptae medicinae superadditur.

Die 21. Balneo tepido hoc mane commissa fuit aegra. Post usum istius, sudor insequitur levisque somnus; sed convulsiones ad noctis ingressum redeunt.

Die 22. Imminutis ad horas matutinas symptomatis, frigus, aliquot per horas extensum, successit. Cessante hoc, cruentus iterum vomitus, dolor capitis atque abdominis sequuntur.

Die 23. Post noctem inquiete transactam, dolor capitis, abdominis continuant. Praescribitur elixir acidum *Halleri* aquâ dilutum.

Die 24. Incruenta vomuit; sanguinem vero tussiendo rejecit. Alvus movetur ope enematis. Pomeridiano tempore aegra se sublevatam persentit.

Die 25. Nox tamen inquieta successit:

sanguinem dilutum, muco remistum, aegra evomuit. Corticis peruviani decoctum cum aquae cinnamomi uncia dimidia ac syrupo porrigitur.

Die 26. Post noctem quietam, hoc mane iterum a singultu corripitur, tussiit, vomuitque cibos sanguine remistos; alvum deposuit. Tepidum ordinatur semicupium. Melius ad vesperas aegra se habuit.

Die 27. Nox inquieta secuta est, ac de cephalaea, de crurum atque de brachiorum dolore conquesta est aegra. Hora quinta matutina vomuit ea et friguit. Versus meridiem pacantur haec symptomata. Ad noctem leve porrigitur paregoricum.

Die 28. Nox interim insomnis cum sapore linguae quidquam dulci; posthinc cum vomitu materiae sanguine tinctae, secuta est. A meridie alvum, ope clysmatis, aegra deposuit. Semicupium ac decoctum corticis repetita fuerunt. Pectoris atque abdominis dolor imminuitur; ad vesperas usque ad noctem singultus, convulsiones, cum pauci sanguinis vomitu, redeunt.

Die 29. Hora sexta matutina frigus aegram prehendit, urinae copiosae fluunt. Moschus porrigitur. Ad vesperas convulsio,

singultus ferox; post haec vero, frigus, in novas mox transiturum convulsiones.

Die 30. Eadem fere, ac heri, morbi symptomata: dolor ad ventriculum, ad caput et extremitates accusatur. Infusum chamomillae cum aetheris sulphurici, tincturae castorei et liquoris c. c. aequa portione praescribitur. Pilulae anodynae tres ad noctem hauriuntur.

Die 1. *Julii.* Convulsiones nullae; tussis hincinde. Adhibetur semicupium; continuatur in singulis.

Die 2. Nox fuit insomnis; nulla interim convulsio; a meridie res bene procedunt.

Die 3. Nox inquieta fuit; convulsio nulla; sed urinae difficultas. Emulsio amygdalina cum mucilagine gummi arabici et opii grano uno porrigitur.

Die 4. Somnus elapsa nocte nullus; caput et extremitates dolent; abdomen tenditur; alvus clausa, urinae difficultas. Semicupio aegra immergitur; ope clysteris cum sale amaro, alvus movetur; ac urinae copiosae excernuntur. Frigus interim novaeque convulsiones succedunt.

Die 5. Nox insomnis fuit; convulsiones leviores; sed urinae mittendae nova

difficultas; sapor oris dulcis cum nausea, dolor abdominis. Seponitur praescripta emulsio, et corticis decoctum cum aqua cinnamomi simplici praescribitur.

Die 6. Idem rerum status est. A meridie convulsio.

Die 7. Aegra vomuit sanguinem; haud vero convulsa fuit; sed a meridie bene se habuit.

Die 8. Menstrua comparent atque ab ista, morbosa dissipantur symptomata. Suspenduntur quidem illa praecocius; sed post quinque fere dies iterum redeunt, ac ita morbo perlongo liberata, adhibitis interea amaris atque martialibus remediis, aegra, die 23. Julii sana dimittitur.

EPICRISIS.

Postquam aegra, de qua hic agitur, illis ipsis aetatis humanae in annis, quorum sub decursu differentia et futura destinatio sexûs gradatim, et novae quasi creationis sub specie evolvenda est, injurias tam externas, quam internas, ut cruris fracturam, febrem periodicam, sex per hebdomadas extensam, ac denique peripneumoniam, nec non repetitas in ea san-

guinis missiones sustulerit: non mirabimur sane neglectam sub istis vasorum uteri ad impositas sibi secretiones cruoris periodicas *praeparationem* atque *resistentias* non minus mechanicas, quam vitali principio innixas, spasmodicas. Quos interim effectus morborum hucusque toleratorum injuriae solae necdum produxerant; his demum provocandis par fuit perversa medendi ratio. Ascarides scilicet, sub vomitu, etsi solius ab uteri influxu oriundo, rejectos, ut morbi causam accusans medicus, hypercatharsin excitando, quin ille vermes hujus ope expulerit, primam *haematemesi*, mox terrificae, occasionem porrexit. Errorem tunc errori superaddens, venaesectionem hic idem multoties repetiit. Vix autem vires aegra quidquam resarserat, cum febris quotidiana intermittens laborque ancillaris, mox ab istius paroxysmo susceptus, has iterum infregerit, ac praeviis sinistri hypochondrii punctorio, — ad pectus vero ardente, dolore animique deliquio, haematemesis in scenam redierit.

Quin vero, hic omnem hujus adfectionis historiam, majore sine fructu, repeta-

mus; modo illa ejusdem symptomata, quae *haematemesi*, tam in genere, quam in specie, sunt propria, rimabimur. Ac primò quidem, nisi violentia externa, utpote corporis, sub lapsu ex alto, fortior concussio, epigastricae potissime regionis, vel et alterius, abdominalis, contusio, vulnus, vomitum cruoris *traumaticum* induxerit; haematemesin a causis internis, vel universo systemati propriis, vel modo topicis, exortam, plerumque praecesserunt menstruorum, haemorrhoidum hucusque habitualium, inordinata, retardata, imminuta, suppressa diu secretio, constitutio corporis, ut vocant, atrabilaria, cachectica, scorbutica, vita sedentaria, deprimentia animum pathemata. Sequuntur haec, moestitia, inappetentia, nausea, subactionis ciborum languor, flatus, acidorum eructatio, ventriculi oppressio, ardor, dolor, saepe periodicus, borborygmi, alvi segnities, hypochondrii sinistri inflatio, tensio, punctio, molestus in illud decubitus, ac tandem *lipothymiae* instantis frequens sensatio. Hoc ultimum phoenomenon, vix non specificum, hinc inde quidem ex sola venarum ventriculi, vasorum brevium turgore varicoso ner-

vorumque tensione, — frequentius autem a cruore his e vasis in stomachum jamjam effuso, subnascitur. Hìc sanguis, si modo paucus effluxerit: ipso absque vomitu, intestinorum per tubum descendit atque, falsa fluxûs haemorrhoidalis sub imagine, atque sub ventris tensione, meteorismo, per alvum excluditur. Quodsi vero quamplurimus cruor ex amplo vasis hiatu, se praecipitaverit; absque praevia haematemesi, mortem subitaneam inducit. Sic *Ticini* quondam viri inopinate defuncti cadaver dissecuimus, atque illius ventriculum non modo, sed omnem intestinorum tubum simul, farciminis in modum, coacto cruore repletos, extensos deteximus. *Saporem oris dulcem*, solum ante *haematemesin*, rarius quidem, — aliquando tamen, ut et in aegra, de qua hìc sermo est, adnotavimus. Cruorem quidem ista aliquoties cum tussi rejecit; sed frequenter, dum eundem modo vomitura erat, dulcis oris sapor praegressus est. Coeterùm, sat rara *haematemesis*, cum *pneumonorrhagia*, ut nostra in aegra, conjunctio dicenda est; nisi quod, ubi sanguinis columna densior impetuose, vel ex ventriculo per oesophagum, vel ex pulmo-

nibus per asperam arteriam, assurexerit: eandem aegri, imminentis suffocationis sub discrimine, nolentes vel inspiraverint, aut vero deglutiverint, atque hoc modo falsam haemorrhagiae idiopathicae tum pulmonum, tum stomachi, simul incedentium, imaginem medicis non satis attentis obtulerint. Cruoris interim, vel uno eodemque in morbo, et oesophago, et aspera arteria, et ano, et vesica, et utero simul prorumpentis, exemplum in typho, et quidem non lethale, nobis obvenit, atque in *morbo*, ut vocant, *haemorrhagico*, frequenter hoc idem se obtulit.

Ad intimam morbi hucusque considerati naturam quod spectat, *convulsivam* quidem atque *hystericam* is indolem omnino ostendit; sed fuit nihilominus, cur hic idem *periodicarum* ad *febrium* familiam non injuste revocari potuerit. Anno scilicet haematemesin praecedente, haec virgo a *febre tertiana* sex per hebdomadas detenta jam fuit; vix autem primo sanguinis a vomitu liberatam illa se viderat, cum *febris intermittens* eam septies, et quidem ad horas matutinas, — ultimi vero paroxysmi sub fine, vomitus cruentus corripue-

rit. Post diem a febre immunem, haec iterum, tertianae in modum, a frigore, brevi quidem, sed post istud, a calore diuturno vexata fuit. Aegrâ die 18. Junii *Vindobonense* ad clinicum institutum susceptâ, typum quidem non diu eundem illius morbus servabat; ast vero die 19., quamvis illa, convulsa, cruorem vomuerit; a febre tamen libera mansit, ac 20. mensis iterum inhorruit. Die 21. convulsiones quidem, — sed frigus nullum; quod tamen 22. per horas redivit. Etsi vero diebus sequentibus nulla amplius febris symptomata rediverint; praemissis demulcentibus atque anodynis remediis, *corticis* tamen ad usum, et quidem sub debita cautione, ne hic pectori, valde oppresso, et ventriculo, nimis sensibili obesset, nos accinximus. Nec tamen hocce remedium, quin horror aegram diebus 27. 29., et mensis sequentis die 4. denuo invaderet, inhibuit. Cum vero symptomatis hucusque recensitis, *dysuria* se jungeret: a cortice chinae abstinentes, in illis modo, quae nervos pacarent, tum internis, tum exterius, perstitimus. Atque hacce medendi sub methodo, morbi quidem atrocis pau-

latim decrevit violentia; ast modo cessante crispatione ac longa resistentia vasorum uteri, dum sanguis (hac exhausta in virgine certe haud nimius, sed lege naturae periodice secernendus) ex illis profluxerit: turbae, quos is, aliis in organis, rebellis excitaverat, contacuerunt, atque remediis amaris, martialibus, locus tandem concessus fuit.

UTERI REFLEXIO IN FOEMINA NON GRAVIDA.

Mense decembris anni 1786, foemina triginta circiter annorum, ex peripneumonia, per hebdomadis spatium neglecta, in instituto clinico *Ticinensi* diem supremum obivit. Num unquam pepererit, num menstruis rite perfuncta sit haec mulier? hoc quidem, ob acuti ac celerrime letalis morbi ferociam, et quod nulla de uteri morbo querela fuerit, nostro in diario adnotatum haud reperimus. Urinae vel alvi retentio, sub decursu morbi apud nos brevissimo, non fuit observata.

Sectio cadaveris, commilitonum nostrorum in praesentia, publice instituta, pulmonem sinistrum ubique duram et ponderosam in molem coactum, ac sero puriformi circumfusum ostendit.

Etsi vero ista, et symptomatum singulorum vehementia, mortis rationem sufficientem obtulissent; ad abdominis tamen et pelvis ad cavum simul attentio conversa fuit. In hoc ultimo autem, vesicam quidem a lotio moderate expansam, — inter hanc tamen et intestinum rectum, vix uteri vestigium reperimus, si partem aliquam inflexam ac

tensam, digito inter intestinum rectum et vesicae cervicem profundius inquirenti resistentem excipias. Exploratio hinc per vaginam cadaveris instituta fuit. Haec vero nos docuit: os uteri versùs arcum pubis quidquam, sed modice satis, ne urinae excretionem supprimere potuerit, conversum; corpus autem durum retro posteriorem vaginae parietem, hunc inter et rectum intestinum collocatum esse. Ex situ tamen descripto, haec non prius removeri voluimus, quam donec pelvim ipsam in medio duasque in partes, ita ut clarior singulorum adspectus haberetur, divisissemus: quam rerum imaginem, tabulis I. et II. fideliter hìc exposuimus, monendo interim: in secunda maxime ex istis, pelvis ossa a contentis visceribus ad magnam satis distantiam, quo facilior istorum expositio haberetur, et prout siccum ad exemplar, egregio pictori res adparuit, separata exhiberi.

Tab. I.

Sistens uterum reflexum, ab anteriore et paulo laterali parte visui expositum:

a. Ossis pubis ramus dexter.

b. Os ilei dextrum.

c. Ultima vertebra lumborum.
d. Os sacrum.
e. Os ischii.
f. f. Labia vaginae in longum discissae.
g. Stilus, ad urethrae ostium ducens.
h. Stilus, ori uteri insertus.
i. Cervix uteri.
k. Corpus uteri non gravidi, cujus pars major reflexa absconditur.
l. Ligamentum latum.
m. Vesica urinalis, ruditer indicata.
n. n. Intestinum rectum, obiter delineatum.

Tab. II.

Sistens uterum reflexum, ex situ suo aliquomodo dimotum et oblique inspectum.

a. Os sacrum.
b. Os ilei.
c. c. Vertebrae lumborum.
d. d. Intestinum rectum.
e. Cervix uteri.
f. Corpus uteri non gravidi, reflexi.
g. g. Labia vaginae in longum discissae.
h. Stilus, ad urethrae ostium ducens.
i. Stilus, ori uteri insertus.
k. Vesica urinalis, ruditer indicata.
l. Ligamentum latum.

EPICRISIS.

Nulla hìc nobis, de uteri *gravidi*, aut male conformati, aut vero a polypo, mola, placenta praemagna, sarcomate, tumore osseo, scirrhoso, prehensi aut pelvis, aut partium eidem vicinarum, a vitio, *retroversione* loquendi intentio est, etsi fundi uterini, ex diversis his causis, posteriora versus aberrantis, major, quam creditur; frequentia, occasionem offerret; sed modo aliqua *hoc de viscere, vacuo et apud non praegnantes mulieres magis reflexo quam retroverso*, dicemus. Ante omnia vero, de nominis, hucusque recepti, proposita a nobis immutatione, ratio hìc loci reddenda est. Morbosam uteri, tertio fere quartove gestationis mensibus, positionem illam, sub qua, ore istius visceris, ossibus pubis arctissime adpresso, fundus et corpus ejusdem, vesicam urinalem inter et intestinum rectum osque sacrum, cunei in modum, transversim haerere, atque tam lotii, quam foecum excretionem vel arduam reddere, vel protinus supprimere cogitur, primus, qui hocce de morbo, antiquis certe haud incognito, jam anno 1732, distinctius scripsit, celebris *Kulm*, — *delapsus uteri* no-

mine, haud interim satis adaequato insignivit *). Huic adpellationi, *inversionis* illam substituit, anno 1772, *Joannes Lynn* **), quam tamen, cum vitium uteri longe diversum hoc nomine veniret; meliore jure, in *retroversionis* illud convertit *Wilhelmus Hunter* ***). Atqui haec ipsa praegnantis visceris aberratio, seu *retroversio*, nisi pelvis excavatio, longitudine uteri largior, i. e., nisi istius longitudo, lineâ, a pube ad intestinum rectum extensa, brevior fuerit, locum haud inveniet; nec unquam retroversus, seu potius reclinatus modo, sub graviditate, uterus, angulum, cum vagina, tam acutum, ac dum idem hoc viscus, adhuc inane ac integrum, nec modo pariete suo posteriore, in pelvim profundius aut lente reflectitur, aut vix non praecipitatur, constituet. Etsi vero ex uteri non praegnantis *retroversione*, ubi causae ejusdem continuent, aut vero si novae ac potentiores

*) Dissert. de utero delapso, suppressionis urinae et mortis causa. Gedani, 1732. Vid. Haller, collect. dissert. chirurg. III. n. 87.

**) Medical Observations and Inquiries; Vol. IV Art. XXXVI. p. 388 — 399,

***) l. c. Appendix, p. 400—409.

iisdem accedant, illius tandem, aut lentius, aut citius, nascatur reflexio, ac modo gradu haec ultima differre videatur a prima; cum tamen praegnationis in hac intercedat absentia; cum non, ut in illa, ponderis uterini simul subintret ratio, nec in utrisque symptomata celeritate aequali urgeant; est sane, cur cuivis ex his positionis uterinae vitiis nomen imponatur, ab illo *retroversi*, aut modo *reclinati*, distinctum.

Tardius quidem haec nostra, *de utero, vel extra praegnationis statum reflexo* publicatur observatio, quam ut ea jure primatus (quod coeterum, in rebus fortuito repertis, exigui satis est ponderis) gaudeat; nec praeterea cadaveris virginei, a prima conformatione, uteri *fundo recurvato* instructi, — nec mulieris, utero obliquo gravidae, ea ipsa in parte, in quam hoc viscus inclinaverat, *tumorem sarcoideum* insignem offerentis, exempla, *Martino Saxtorph*, jam circa annum 1775 oblata*), nec demum *Willichii* observatio, nostrae fere similis, sed eâdem sex annis an-

---

*) Societatis medicae Havniensis collectanea; Vol. II. XV. p. 127—145.

terior,*) latere nos potuerunt. Cum interim virginis, utero incurvato praeditae, exemplum; nec retroversionem, nec reflexionem hujus visceris manifestaverit; sed modo casu consecutae quondam longiore sub vita, conceptionis, his ipsis subjici potuisset; — cum alterum, mulieris scilicet praegnantis, ac uteri, ex tumore sarcoideo, obliquitate laborantis ad reflexiones uteri non gravidi haud pertineat; — cum denique casus a doctore *Willich* observatus, quamvis menstruorum ob secretionem, ab aliquot jam mensibus retardatam, aegra, se gravidam esse negaverit, et ipse hanc opinionem arripuerit ejusdem medicus; de hujus assertionis veritate, tam quotidiano foeminarum non modo, sed et artis peritorum his in casibus errore, dubitari permittat; — nisi prima, huic saltem satis vicina, et quae vel hanc ob rationem ad reflexionem uteri non gravidi *historiam* pertineat, dicenda est.

Quae *uteri praegnantis retroversionem* concernunt, ea, quod vel uno, quo viximus, hominis aevo, jam satis exculta fue-

*) Richter's chirurgische Bibliothek, B. V. St. I. Goettingen, 1779. S. 132.

rint, eo minus hìc loci tangimus: quod licet in sat amplo artis obstetriciae exercitio quondam versati, ac eidem, in terris *Spirensibus* publice tradendae, per aliquot lustra praefixi, nihilominus, sub cura scilicet gravidarum et parturientium quoad positionem corporis, et quoad excretiones tam urinales, quam alvinas, magis sollicita, *completam uteri* in illis *retroversionem* nunquam observaverimus. Etsi vero obliquitas, nunc major, nunc minor, uteri apud gravidas, frequenter et nobis obvenerit; cum tamen mulierum, nisi dubiae praegnationis, diuturnae sterilitatis, ac vitii circa uterum organici, sub quaestione, per vaginam explorandarum, non tamen frequens obstetricantibus offeratur occasio; fatemur, a nobis, qui sat multis jam ab annis obstetriciae artis exercitio renunciavimus, haud prius, quam anno 1786, in foeminae non gravidae, de qua hìc agimus, cadavere perfectam uteri reflexionem observatam fuisse. Alterum istius exemplum, principis *Rossici* uxor, cujus curam medicam, *Vindobonae*, anno 1811 gessimus, nobis obtulit. Symptomata scilicet, quae illustrem hanc matronam jam diu vexave-

rant, et quae nullum nobis, de internorum genitalium vitio, dubium in illa reliquerant, ea ut viri in arte obstetricia celebris investigationem atque consilium exoptaremus, nos induxerunt. Cum vero hanc *secundam*, quam observare nobis datum fuit, uteri non praegnantis perfectam reflexionem in aliud tempus, quo *primam* ex istis exponendi occasio foret, describendam reservassemus: comparuit viri nobis amici opus egregium, quod nempe, praeter matronae illius nobilissimae historiam, potissima, quae reflexos in foeminis haud gravidis uteros, tum ab aliis, tum a semet ipso observatos, concernunt; arte magistra, et quae nos ab istorum repetitione liberet, exposita fuerunt*). Aliqua tamen, quae istius mali causas et effectus, minus hucusque consideratos, respiciunt, hic adnotabimus.

Ac primò quidem, ut retroversio, reflexio uteri locum inveniant, requiri dixerunt, ut hoc viscus, vel ab impraegnatione,

*) Dr. Wilh. Jos. Schmitt's, k.k. Rathes und ordentl. öffentl. Professors u. s. w. Bemerkungen und Erfahrungen über die Zurückbeugung der Gebärmutter bey Nichtschwangern, nebst einigen Bemerkungen über die Vorwärtsbeugung. Wien, 1820. 8.

vel a menstruorum retentione, a polypo, scirrho, etc. augeatur volumine, ac spatium in pelvi majus occupet*). Ast vero, cum tam numerosa foeminarum, volumine, uteri non parum aucto adfectarum, cadavera, tum ab aliis, tum a nobis adperta fuerint: si gravidas excipias, vix ulla ex his, aut retroversionem aut reflexionem uteri, aut illis, aut nobis obtulit. Accedunt et obstetricantium recentiorum aliquot celebrium, *Jacobi Schweighäuser*, ac *Wilhelmi Schmitt*, testimonia: qui scilicet, *uteri haud gravidi*, *frequentius*, *quam praegnantis retroversionem* sibi oblatam fuisse asserunt**); etsi nobis primi scriptoris (inter *quadraginta et quatuor* casus uteri retroversi, modo *quinque* ex istis in *gravidis* a se observatos fuisse) assertio, de visceris hujus proliferi *obliquitate* notabili magis, quam de *perfecta*

*) Murray, in Rudolphi's Schwedischen Annalen, B. II. S. 186. Voigtel's Handbuch der pathologischen Anatomie. B. III. S. 463.

**) Wilhelm Schmitt, in den Jahrbüchern der deutschen Medicin und Chirurgie von Harles, B. I. H. I. — Jacob Schweighäusor's Aufsätze über einige physiologische und praktische Gegenstände der Geburtshülfe. S. 251—261.

ejusdem *retroversione* aut *reflexione* intelligenda esse videatur. Conspicuos quidem uteri, ex causa quacunque, tumores, utriusque his aberrationibus ansam hincinde porrexisse, dubitari haud potest; de nulla interim *mole uteri aucta*, aut normali, aut morbosa, quae absque *pelvis amplitudine* aut excavatione *immodica*, aut *conformatione vitiosa*, imprimis rachitica, retroversionem aut reflexionem induxerit, constat. Haec sola amplitudo pelvis immodica, aut ultimae vertebrae lumbalis cum osse sacro prominentia justo planior (praesertim ubi ligamentorum uteri, maxime rotundorum, laxitas morbosa subintrat, ac ubi abdominis, pro mole viscerum, aut normali, aut morbosa, angustia, compressio per thoraces, trabes ligneas aut ferreas, per fascias coarctatio locum inveniunt, vel ubi descensus diaphragmatis, per nixum, sub elevatione ponderis, sub tussi ferina, sub labore ad alvum deponendam, impetuosior, diuturnior, accedit;) utero, ut retrovorsionem, aut reflexionem ineat, occasionem haud raro praebebit. A lotio diutius retento ac vesica sic nimis extensa, uterum retrò urgeri, eo minus credendum est: quod haec ipsa excretio-

nis urinalis suppressio, *effectum* magis, quam primariam hujus vitii *causam* sistat. Mulieres *Vindobonenses* ex pauperum classe mercenariae, quae, licet se utero ferre, non amplius dubitent; ligna tamen aliorum, ad usus fornacum, per integros dies dissecare pergunt et, corpore, hoc laboriosum ad opus, anteriora versùs, profunde incurvato, *serrae* erectae partem infimam, humo, — superiorem autem regioni hypogastricae fortiter sibi adprimunt, atque haec ligna, a viris robustis in longum jam discissa, ambobus pugnis arrepta, super serra transversim dividunt, varia quidem uteri mala, perversa laboris hac methodo, — sed, quod sciamus, *retroversionem* ejusdem nullam, sibi adsciscunt. *Incessum* foeminae humanae *erectum*, ad uteri anteversionem non minus, ac retroversionem, reflexionem ejusdem, contribuere, ex eo, quod nulla aberrationum uteri similium vestigia, animalium brutorum in foeminis, etsi prolapsus apud illas exempla haud desint, occurrant, deducimus. Ipsius substantiae uterinae vitio, quamvis post mortem, sensibus haud in omnibus obvio, retroversionem aut et reflexionem in quibus-

dam oriri, atque vix non *congenitam* esse, et nobis videtur. Sic in virginis maturae ac intactae cadavere, quin ulla suppressionis vel urinae, vel menstruorum signa praecessissent, uteri, retortae in modum reflexi exemplum exstat*); ac, etsi, num foemina, cujus historiam hic tradidimus, aut menstrua rite excreverit? aut num ea unquam pepererit? nobis haud constet; est tamen, cur ex uteri ejusdem conditione, eundem quondam impraegnatum fuisse, dubitare queamus. Haemorrhagiae quidem, citra praegressam impraegnationem, ex utero reflexo insecutae, atque profluvii istius, per matricis repositionem, a Dr. *Brünninghausen* feliciter sanati exemplo**), cruori hoc a viscere, quantumvis reflexo, viam in vaginam haud semper praecludi, docemur; metum interim haec observatio, ne causa *sterilitatis* in ipsa uteri reflexione saepius, quam creditur, resideat, non discutit. Esto vero, uterum, nullius sibi labis organicae

---

*) Fr. Schröder, in Horn's Archiv, 1817. März und April. S. 311.

**) W. Schmitt, Ueber die Zurückbeugung der Gebärmutter bey Nichtschwangern. S. 9—10.

conscium, vel externorum, vel proprii domicilii injuria, hunc in carcerem aut lente ac subdole deductum, aut majore violentia praecipitatum, ac fato adhuc iniquiore, angusto hoc pelvis in angulo, distantioris a vagina ovarii, mala fortuna hincinde impraegnati, exemplo, conceptioni locum concessisse, nisi jam primis ab impraegnatione temporibus, vel cessante causarum, quae uterum sede sua dejecerant, imperio, vel meliore excretionum abdominalium ac decubitus regimine, vel etiam quod collapsam visceris proliferi energiam, qua sese injectis a vinculis liberet, conceptio, ipsa erexerit; vel impeditus dilatari ulterius uterus, ut germen, sibi non ita pridem commissum, praecocius revomat, incitabitur; vel ut, adaucto indies hujus visceris volumine, id ipsum, et collum vesicae, et urethram, et vaginam propriam, et intestinum rectum magis magisque comprimat, irritet, incendat, insidiosum hunc ignem cum istis tandem participet. Quodsi tamen et uterus *reflexus* concipere, ac foetum, qui plures per menses hic loci vegetaverat, donec, exstinctus, in eodem putresceret, fovere valeret; quae hocce

de corpusculo, corrupta, superstant: ea, parietis uterini posterioris, ac intestini recti suppuratione praegressa, has vias morbosas non minus inire possent. Experientiâ quidem, tam aliena, quam propria, quae pathologicum hunc nodum discindat, hucusque destituimur; ast vero, dum uteri non modo transversim in pelvi defixi, sive *retroversi*, sed cum (quod pluris, et quod observationis recentioris objectum est) retortae imagine, ad loca, vaginam inter et rectum intestinum profundiore, ac integrè *reflexi* historia hucusque satis imperfecta sit; donec major obstetricantium, medicorumque et hanc majorem in uteri aberrationem, convertatur attentio; solius ratiocinii ac analogiae fulcro nos inniti, sat justa ratione, nemo improbabit. Ne vero in messem nobis jam diu alienam manus immittamus, de magno licet argumento, haec pauca sufficiant!

JOANNIS SONSIS, M. D. CREMONENSIS,

DE UTERI TUMORE OSSEO EPISTOLA.

Anna Martinelli, Cremonensis, annum aetatis suae 65 adepta, macilenti et sicci corporis habitûs simul ac sterilis, jam a florente aetate, flagitioso et vitiis omnibus dedito viro nupta, patienter per viginti circiter annos minas, verbera et excessus plures sustinuit, donec tandem, tam infelicis vitae pertaesa, divortium inire consultum duxit. Ab hac epocha, doloribus vagis, initio levibus, sensim increscentibus, ad abdomen torquetur; tumor insurgit, hypogastricam tenens regionem, paulatim mole auctus, quin tamen magna offerat incommoda, si excipias frequentes dolorum accessus. Capitis infantilis volumen tumor adeptus, sursum extenditur ad regionem umbilicalem, mobilis, indolens, et leucorrhoeae speciem inducit. Absunt interim systematis nervosi et hysteriae symptomata, neque unquam molestiae haemorrhoidales et ad mingendum incommoda apparuerunt; fugax tamen et intercurrens pedum oedema post insuetos labores

hinc inde se prodit. Anno tandem 1790, mense septembri, febri tertiana duplici, cholerica prehenditur, quam ut profligarem inutiliter corticem et solum, et opiatis et cordialibus nuptum; et per os, et per alvum clysmatum ope propinavi; vomitu enim fere continuo et cibum et pharmaca mox ab assumtione reddebat. Quarto accedente paroxysmo febrili e vivis misera eripitur.

Cadaveris sectionem institui, et praeter ovariorum auctam molem, et miram inter utrumique cohaerentiam, uteri tumorem, quam cernis, reperii. Cumque tactu duritie fere lapidea hunc esse donatum deprenderem tentavi cuspide an perforari posset; sed frustra: materies etenim, ut reor, tophacea, qua tumor confectus videtur, perforationi se opposuit. An ergo calculus uteri hic latet? de hoc et pondus et durities me persuadent. Interna cultro rimari nolim, ut intactum viscus tam raro morbo adfectum tibi perveniret. Si interim mens tua esset, quid subsit perscrutari, deprecor, ut quid compertum habebis, et de hoc sapienter cogites mihi tua (qua soles erga discipulos tuos, inter quos recensitum fuisse glorior

semperque gloriabor) humanitate palam facias. Tumorem lubentissime tibi mittere volui, non desperans hunc te, ut observantiae meae, et grati animi testimonium accepturum. Deus O. M. te hominum saluti, et discipulorum votis incolumen servet. Dabam Cremonae III. Non. Novemb. 1790.

Joannis Sonsis M. D.

JOANNIS PETRI FRANK RESPONSUM AC BREVIS OBSERVATIONIS EXPOSITAE COMMENTATIO.

Citius Tibi pro singulari, quam mecum communicasti, observatione, et pro transmisso mihi pathologico dono, gratias egissem, nisi, quod justum aequumque fuerat, a me petiisses, ut quid in tam duro viscere continebatur, Tibi indicarem. Uterum igitur, quem Tu ipse, ne quid laederes, quod in museo *Ticinensi* integrum conservari meretur, non dissecuisti, ad anteriorem faciem a praeclaro viro, D. professore *Bresciani* ita adperiri curavi, ut sectione in modum crucis instituta, largo satis ore pateret, quid tantae resistentiae et duritiei locum dedisset. Mox autem observari licuit, ipsius quidem proliferi visceris substantiam a normali nequaquam abludere, sed consueta parietum crassitie, nequidem a conspicua extensione imminuta, corpus alienum ita amplexum esse, ut cum eadem, tenuiore tela cellulosa, undique cohaereret. Non difficile erat, *osseam* hujus corporis naturam, primo jam intuitu, distinguere; atque ob hoc ipsum suspicio mihi nata est,

foetûs forsitan in ipso utero retenti, carnibusque tractu temporis destituti, sceleton nobis offerri; sed mox a superficie inorganica et irregulari convincebar, non hoc quidem, sed substantiam vere osseam, *osteosteatoma* dicerem, sisti; cujus densissima et ponderis non exigui compages uterum, acsi praegnans fuisset, extendebat.

Uteros pingui eademque dura materia repletos ipsemet vidi; sed *ossea* substantia adeo infarctos fuisse, nunquam certe antehac conspexeram; ut igitur donum Tuum inter potissimas collectionis nostrae academicae partes omnino pertineat, ac donatoris nomine publice distinctum, gratias Tibi perpetuas praeparare debeat. Apud *Pecquetum* interim corpus lapideum fere, septem libras ponderans lego in miscellaneis curiosis; et in actis chirurgicis *Parisiensibus* calculum levem et friabilem, ponderis quatuor unciarum, in utero contentum, eadem haec acta referunt. De lapide ingenti, gypseo, eodem in viscere reperto, historiam *Donatus* retulit. Uterum totum, pinguedinem fere cartilaginosam referentem, *sepulchretum* commemorat; quae omnia rara omnino sunt, et a

Tua observatione non admodum distant. An vero ab hoc ipso peregrino, in utero contento corpore vomitus foeminae et lethalis illa febris intermittens originem traxerit, decidere, licet sic esse videatur, nihil tamen audeo. Interim febrem quartanam, rebellem ad omnia, in adulto milite, ex *dentis*, quem *sapientiae* vocant, eruptione pendentem, et dente protruso, illico sanatam ipsemet observavi; neque dubium est, a tanta uteri extensione, a tam duro et inaequali corpore, vomitus aliaque symptomata, a Te observata, quam optime posse explicari.

Haec tibi, amice! ut quanti Te habeam, quantique donum, quod Academiae nostrae transmisisti, faciam, Tibi commonstrarem, respondere volui. Perge, precor, patrisque Tui, quem veneror, vestigia ultra preme! Dabam Ticinii Regii 20. Novembris 1790.

ADDITAMENTUM.

Quae festinante admodum calamo, triginta abhinc annis, auditori quondam nostro, ob animi ingeniique dotes conspicuo, circa uterum vetulae morbosum respondimus, ea quidem praecipua, quae tunc tem-

poris hoc de argumento exstabant, aut saltem nobis, negotiis, non minus publicis, quam academicis, obrutis, in mentem ceciderunt, continebant; mox interim et *Berolini* in celebris *Waltheri* museo anatomico, exemplar uteri morbosi, voluminis quidem duplo minoris, naturae vero similis existere, ex *Flemmingii*, Regis Borussiae chirurgi stipendiati, iter per Italiam instituentis, relatione percepimus, et plures concretionum, in utero partim calculosarum, partim ossearum observationes, quas in brevi et amica epistola vel sponte praeterivimus, collectanea medica *Alberti*, *Ploucqueti*, *Conradi*, et *Voigtelii* conservarunt. Quamvis interim haud inaudita sit, quam hìc retulimus, observatio; inter omnes tamen concretiones osseas, hucusque in uteris repertas, haec nostra, et mole sua, et forma, et indole, et vaginae ratione, potissima nobis videtur.

Ac *primò* quidem, ut ex tabula III. comparet, uteri, nucleo hoc osseo gravidi, *moles* et extensio, f.f. f.f., illi matricis, in crucem dissectae h.h. h.h., septimum in mensem praegnantis, vix non aequalis est. *Secundò,* ad formam externam quod

spectat, hanc, ossea concretio, quam fideliter delineari curavimus, illi, *brassicae oleraceae*, seu *botrytidi Linn.*, in omnibus similem sistit; in centro vero, ex quo, specilli ferrei ope perfosso, sanguis ad aliquot uncias effluxit, quidquam excavatam se prodit. Quamvis autem, *tertiò*, compaginem hanc osseam, respectu suae indolis ac primae originis, dubia haud pauca circumambiant; cum tamen partem parietum uteri, saltem anteriorem atque lateralem, modo levis tela cellulosa cum tumore osseo, quousque hic patebat, revinxerit: celebris *Bailliei*, modo unico exemplo innixa opinio, quod nempe omnis concretio ossea in utero, ex *sarcomate* ejusdem interno descendat *), haud satis comprobari videtur. Saltem nec in isto tumoris genere, nec in excrescentiis uteri aliis, sanguis tam facile in ipso meditullio fluctuare consuevit.

Num sanguis, sub morbosa vasorum actione in uteri cavum praecipitatus et ibidem ab omni atmosphaerae influxu custoditus, parte sui lymphatica, utpote leviore,

*) Anatomie des krankhaften Baues von einigen der wichtigsten Theile im menschlichen Körper. Cap. XIX. S. 219. 220.

ad externos hujus liquidi stagnantis confines coactâ, et, lapsu annorum, in corticem duriorem, nullo, nisi tenui atque celluloso vinculo cum interna uteri superficie connexum, concreta, osseae hujus, pluribus in locis quasi interruptae, massae genesin felicius explicat? Haud raro saltem vel ipsae arteriae, contracto sub incendio, resorptis tenuioribus, ex lympha coacta, osseam tandem firmitatem ac indolem adipiscuntur. Nec tamen, *quartò*, si eadem haec massa posteriori uteri facici firmius adhaereret, hujus originem metamorphosis, ex *steatomate* uteri, ut cujus generis tumores minores, cervicem hujus visceris ipsamque vaginam utrimque opprimunt e.e.e.e., repetendi occasio deesset. Quod autem, *quintò*, attentionem lectorum, praeter ista, meretur, *vaginae* (ab anteriore parte a nobis divisae, a.a.b.b.) major consuetâ *longitudo* est: ut cujus canalis extensionem morbosam, moles uteri, tumore osseo praegnantis, per tot annos supra pelvis aperturam superiorem, quin unquam in cavum istius descendere posset, detenta, produxit.

EXOSTOSIS CRANII INTERNI APUD HOMINEM GIGANTEA.

Sorte dissertationum academicarum de argumentis medicis etiamsi dignissimis, quotannis editarum, haud satis dolenda, illa ex istis, quam *I. A. Römhild*, unus ex nostris quondam in *Georgia Augusta* auditoribus, publicavit*), paucorum modo ad manus, nec unquam ad nostras, pervenit. Cum vero hoc idem, quod ab amico nostro nitide expositum et figurâ illustratum fuisse legimus, objectum pathologicum, museo Goettingensi, ante nostrum ex hac celebri academia in *Italiam* discessum (1785), dono contulerimus, cumque hoc idem in usus communiores converti desiderium alamus: fidelem illius imaginem, qualem, tabulis IV. V. et VI. sub oculis nostris delineari curavimus, brevemque istarum descriptionem huic nostrarum observationum selectui subnectimus.

In *Alsatia inferiore*, *Landaviam* inter ac *Spiram*, novem abhinc lustris, ex humo arenosa, fortuitò effossum fuit, et chirurgiae professoris *Bruchsaliensis* et amici

*) Nonnulla de exostosibus in olla capitis. Goettingae. 1800. c. fig. in 8.

quondam nostri doctoris *Joachimi Wrabecz*, ad manus, — ex istis autem ad nostras pervenit, junioris ac sua sutura jam destitutum os hominis frontale. Injuriâ temporis, convexa ossis istius facies, lamellâ externa hincinde spoliata et, ubi haec defecerat, ejusdem substantia, ut solet in aliis, porosa fuit. *Arcus* hujus ossis supraciliaris sinister, tab. IV. adhuc optime distinguitur; dexter vero, gibbere osseo, illum superascendente, obtegitur. *Glabella*, seu locus, his arcubus intermedius, patet quidem; ossa vero superioris mandibulae plane deficiunt, istorumque locum substantia compacta, partim quasi eburnea, partim porosa, super omnem faciei deficientis ambitum, ex orbitis protensa, inaequalis ac hincinde fissa, tumoribus variis foveisque satis profundis instructa, occupat.

Facies hujus ossis frontalis interna et concava, tab. V. foraminulis variis, pro transitu vasculorum exsculpta, ultra suam medietatem, eâdem substantia, quasi eburnea, ita tamen repletur: ut concavitatis osseae pars major inter tumorem hunc osseum libera maneat. Ex parte sinistra et in-

feriore, *alae sphoenoidalis majoris* portio distingui videtur; coetera vero singula, massa informis occupat, a portione faciali tam fovea majore distincta, quam eminentiis plurimis, pisiformibus obsessa. Ipsa vero haec massa ossea, ex tribus tumoribus dextro nempe majore ac superiore, — sinistro minore; — medio autem elevatiore, eminentiis granosis signata, componitur. Infra portionem hanc mediam, pars *basilaris* et *condyloidea* ossis occipitis, ex cujus dextra portione, quaedam quasi abrupta conspicitur. Profundius vero teneriores aliquae partes osseae patent: inter quas, *rostrum* sic dictum *sphoenoidale*, quod excipiendo vomeri destinatum est, sat facile in ipso originali distinguitur. A dextris, eminentia crassa et longa exsurgit, quam *apophysis pterigoideae* dextrae pro apice habemus: cujus scilicet alae intermedia substantiâ abolitae sunt. A sinistris, apex minor exsurgit; per mediam longitudinem diffractus. Ea vero, quae in profundo hujus massae latent, evidenter sunt ossea; de novo autem ascendunt, tam utroque e latere, quam ex inferiore regione, tubera inaequalia, quae cum faciali anteriore, unum con-

stituunt. Observatur quoque in latere sinistro pars ossea, porosa, quam, extra consortium cum coeteris positam, pro radice *alae ossis sphoenoidalis* majoris agnoscimus. Haec autem ossis portio facilius tabula VI. quae lateralem hujus objecti faciem delineatam praesentat, conspicitur.

EPICRISIS.

Haud pauca concretionum ossearum, calculosarum vel, ut vocabant, petrosarum, aut in cavo cranii, aut ipso in cerebro, cerebello, aut vero in nervis repertarum, exempla in fastis medicis exstant *). Nos

*) Mich. Alberti, tentamen lexici realis observationum medicarum. Part. I. Art. calculus p. 58. 60. Part. II. Art. cerebrum p. 77. Art. calculus, p 168. 177. G. G. de Ploucquet, Literat. med. digest. T. I. Art. calculus, p. m. 172. Art. cerebrum, p. 275. 276. G Conradi's Handbuch der pathologischen Anatomie. S. 556. 557. F. G. Voigtel's Handbuch der Anatomie, I. B. S. 619—623. Matth. Baillie's Anatomie des kranken Baues, übers. v. Soemmerring, neue Auflage. S. 263. Anhang zu diesem Werke, S. 180. Prochasca Medicinische Jahrbücher des k. k. Oesterreichischen Staates. V. B. 3. St. S. 83—85. J. Cruveilhier, Essai sur l'Anatomie pathologique en général, et sur la transformation organique en particulier. II. Vol. in 8. Paris, 1816.

ipsi, praeter illam, quam hic descripsimus, exostosin, cerebro funestam, alterum, in osse petroso militis, apoplexiâ defuncti, — tertiam vero, nobilissima in virgine, cui sub infantia, tinea capitis, unguentorum ope, exsiccata fuerat, sub forma *spinae osseae*, ex lamina vitrea ossis parietalis sinistri, in cerebri substantiam corticalem, letali sub exitu, adactae, reperimus. Principis Germani filiam novimus, quae, multis jam ab annis, visu omni ad oculum dextrum destituta, post obitum, arteriam nervi optici centralem penitus osseàm exhibuit. Exemplo fere simili, calculus, in nervis opticis, cephalalgiam ac coecitatem induxit*). Universae chóroidi hominis lusci et mendici: *pro retina*, tenuis *lamella* suberat *ossea***).

Adolph. Wilh. Otto's Beobachtungen zur Anatomie, Physiologie u. Pathologie gehörig; tab. I. fig. III. Brichetau, Dictionnaire de sciences medicales, Tome 4. Art. cerveau, p. 475—477. Tome 38. Art. ossification, p. 390—416.

*) Zodiac. Gall. 1619. mens. maji, Obs. 14. Voigtel, l. c. B I. S. 68.

**) Morgagni, de sed. et caus. morb. Epist. 52. Art. 30. Similia fere referunt Zinn, Hamburg. Magazin. B VI. S. 441. Haller, opuscul. patholog. Obs 53. p. 136. Cruvelhier, l. c.

Etsi vero concretiones duriores, ubi suas radices in ipsius substantia cranii egerint, nullamque calvariam inter ac cerebrum continuitatem observaverint, qualemcunque demum figuram aut molem assumserint, non tam *petrefactum*, ut pluribus visum est, *cerebrum*, quam veras cranii *exostoses internas* fuisse dicendum sit*); quoties tamen hae concretiones nullam cum cranii ossibus cohaesionem aluerint: vel osseae illae, vel calculosae fuerint; toties nomen iisdem, a parte, quam in se ipsas mutarunt, tribui, aequum et justum est. Quousque scilicet membranae, quae cerebrum involvunt dividuntque, penetrant; quousque vasorum, per nobilissimum hoc viscus, imperium extenditur; quousque tela cellulosa subtilior coadunat haec singula: eousque, sub capitis morbis internis, castra movet pathologica secretio, et quae lege sanitatis mollia et pervia fuerant: vel osseam, vel quasi lapideam nullisque

---

*) Vallisneri, de animantium cerebris, ut vulgo creditum est, lapidescentibus. Opp. I. p. 89. Haller. Elem. physiol. Lib. X. Sect. 1. Morgagni de sed. et caus. morb. Epist. V. Art. 12. Soemmerring, l. c. S. 268.

amplius fluidis patulam in substantiam convertere potest.

Tam cranii exostoses, vel externas, vel internas, quam ipsius massae cerebralis duritiem osseam, aut vero calculosam, *inflammationibus* praeviis potissimum deberi, dubitari vix licet. Ex chemicorum recentium opinione, tam frequens arteriarum apud hominem in osseam substantiam conversio, ex materiae osseae, inter membranas illarum depositione, subtilius forsitan, quam vere interpretata fuit. A quo vero tempore, systematis tam arteriosi, quam venosi totius inflammationem deteximus (*Ticini* a. 1786): eo, phoenomeni illius ac aliorum, quae morbos vasorum concernunt, lux major medicinae affulsit. Inter animalia domestica, *boum*, aut cranii exostosibus internis, aut cerebri tumoribus osseis laborantium exempla jam supra citata, prae coeteris numero eminent: violentiis forsitan externis, quibus caput bovinum frequentius submittitur, adscribenda. Quodsi tam rudis haud esset istorum animalium, per laniones, in usus alimentarios dissectio, ac nisi metus, ne carnes animalium, his ab operariis mactatorum, ob vitia mere localia, hac occasione

reperta, pro insalubribus declararentur; phoenomenorum tam istorum, quam aliorum, attentione medicorum, quod (jam sola *finnae*, sic dictae, seu *cysticerci cellulosae* historia docuit)*), certe dignissimorum, frequentior, sine dubio, foret numerus.

Quousque aut superficiei cranii internae, aut durae menyngis ac falcium, aut cerebri, cerebelli ipsius coeterum sani, exostosis, vel calculosa concretio, haud adeo extensa, aut spiculis horrida manet: istius symptomata adfectionis nullo saepe in viventibus signo, quod medicis notum, aut satis distinctum sit, se produnt. Lentiore scilicet pede nascuntur et augentur haec tubera, et massae cerebrali, quo compressionis hujus, adhuc, modicae, jugo sensim adsuescant, tempus concedunt; quidquod (exemplis tam laesionum cerebri conspicuarum, praeter omnem exspectationum feliciter sanatarum, quam fungositatum vitalis hujus visceris, ausu, ut primùm videbatur, inexcusabili, sed eventu faustiore resectarum)

---

*) J. P. Frank, Epitom. de cur. hom. morb. §. 90. s. p. 203 — 204.

exostoses non minus, quàm concretiones calculosae, animalium non modo brutorum, sed humanis quoque in craniis, quin ullam istarum indicium, hucusque cognitum, praecesserit, hincinde fuerint repertae. Est interim, ubi, *Patavii*, post mactationem bovis, prae coeteris stupidi, capite semper pendulo et quasi nutante incedere soliti et magis magisque contabescentis, cerebrum (ut credebatur) in marmoream plane duritiem conversum repererint *); est, ubi in bovis *Suecici*, qui antea prono semper et inclinato capite in pascuis, vix ossibus haerens, languebat, cerebrum, ut supposuerunt, universum, in lapidem mutatum detexerint **); est ubi in pueri, stulti quasi semper somnolenti et capite obtusi, ventriculo cerebri dextro, lapis (calculus) occurrerit ***). Cerebrum hominis, primùm furiosi, postea maniaci ac sensu vix non omni privati, dimidiam sui in molem corrugatum et in osseam quasi substantiam conversum, in

*) Ephem. Nat. cur. Dec. I. ann. I. Obs. XXVI. p. 92.

**) Thom. Bartholin. Epist. 8. cent. III. et VI. Histor. med. Obs. 91. p. 357.

***) Theod. Kerkring, Obs. anat. Obs. 35. p. 76.

collectione regia fossilium *Lusitana*, observavit auditor ac amicus quondam noster, Dr. *Domeier* *).

Nec unum tamen est ex his symptomatis, ex cujus, vel in homine, vel in brutis animalibus, praesentia, ad exostosin calvariae internam, aut ad concretionem in cerebro calculosam magis, quam ad alium quemcunque capitis morbum, concludi liceat; ac singulas, quas hic adduximus, de cerebri, vel per exostosin, vel per calculum compressione eorumque effectibus aliorum historias, insigni omnino quod nec diuturna, nec sollicita satis istorum observatio locum habuerit, aut saltem ad nos usque pervenerit, difficultas premit. Etsi vero hac longe major exostosin cranii internam, quam supra descripsimus, ejusque a nemine consignata symptomata, obscuritas involvat; gigantea tamen et facile maxima, quae unquam descripta fuerit, ejusdem exostosis magnitudo, ac potiorem per cavi calvariae partem, priusquam miseri hominis

*) Journal der ausländischen medicinischen Literatur, v. Hufeland, Schreger, u. Harles. I. B. S. 258.

vitae finem imposuerit, extensio, nos quoque, ne tanti momenti phoenomenon morbosum oblivioni traderetur, hoc idem interpretationibus his nostris clinicis inserere breviterque commentari induxit.

TUMOR CERVICIS OSSEUS, CUM BRACHIORUM ET CRURIS SINISTRI PARALYSI *).

Joannes Chorherr, mercenari egeni filius 18 annorum, habitu gracili, sanis ortus parentibus, praeter variolas, nullum perpessus est morbum, nisi quod vermes saepius, et sponte, et datis anthelminticis, redderat. Coeterùm continuò habitabat in cubiculo angusto et admodum humido. Victu utebatur sat tenui, et sexto jam aetatis anno ducendis filis bombycinis operam dare incipiebat, debilis semper et corpore macro. Ante decem fere hebdomadas, absque causa notabili, corripiebatur dolore vehemente in nucha; qui dolor per totum caput saeviebat. Post quatuor demùm hebdomadas ad medicum confugit, qui locum dolentem inspiciens, chirurgicum esse morbum asseruit. Petit aeger chirurgum accipitque ab illo fomentationem; qua, modice tepida, nucham foveret; ast vero adhibito vix fomento, incidit in febrem continuam remittentem, quam rheumaticam medicus ad-

*) Historiam morbi conscripsit M. Dr. Doemling.

pellabat, diaphoreticisque sanare studebat. Mox minuitur nuchae dolor; in brachiis vero ac in pede sinistro vehementior insurgebat. Disparet sensim febris; ast remanent dolores arthritici, nocte exacerbati. Ante sexdecim fere dies, brachia et pes ille paulatim debiliora evadebant, tandemque omni motûs facultate privabantur. Die novembris 19. purgante medicina assumta, saepissime aeger alvum dejecit, non parum abinde debilior.

Die 23. novembris 1797, aeger ad institutum clinicum *Vindobonense* defertur. Corpus illius macrum, pallidum et gracile; pupillae dilatatae, labium oris superius, quale in scrophulosis esse solet, justo crassius. Ad nucham observatur tumor, cuti concolor, ab attactu dolens, sat elevatus, ac tres fere vertebras occupans. Pro digiti tangentis sensu, hic tumor, ipsis in vertebris potius, quam in partibus mollibus, consistere videtur. In sterni parte superiore, similis ossis intumescentia, indolens, observatur: quam aeger sub hujus morbi decursu exortam esse asserit. Caput hic juvenis modo parum in alterutram partem, ob auctum abinde nuchae dolorem, movere potest.

Extremitates superiores utraeque, motûs facultate plane carent; manus oedematoso tumore occupantur; nec tamen foveam sibi impressam retinent. Dolores noctu praecipue in iis aegrum divexant, et attactum paulo rudiorem haud perferunt. In pede sinistro, eadem locum habent, hisque accedit: quod frigeat semper ad medici aeque, ac aegri ad sensum. Pes dexter sanus, nisi quod, ob luxationem, ante aliquot annos casu inductam neglectamque, longior sit sinistro; quod in articulatione tibiae cum tarso, lentior sit motus, ac idem circa metatarsum digitosque frigus. Coeterùm susurrus aurium adest; adpetitus sat bonus, alvus et urinae rite secedunt, febris nulla. Sub angulis maxillae inferioris paucae glandulae induratae se offerunt. Rhachitidis, pro matris ipsius assertione, vestigium nullum unquam comparuit.

Consideratis his morbi descripti tam causis, quam symptomatis, die 25. novembris, ad utrumque latus tumoris cervicalis, fonticulus sat largus positus, decoctum vero ex uncia una corticis chinae ac drachmis duabus radicis rubiae tinctorum, ad colaturam librae unius, praescriptum, et omni

bihorio ad vasculum dimidium porrectum fuit.

Ad noctem augentur dolores in partibus paralyticis, nec unquam, ut antehac solebant, sub die remittunt; ad noctem et calor, et pulsuum frequentia augentur. Hinc 26. novembris, praeter illud decoctum, pulvis ex gummi guajaci granis sex, et extracti aconiti napelli grano uno, nec non sacchari scrupulo compositus, et bis in die sumendus praescribitur.

27. Novembris. Dolores in partibus paralyticis imminuti sunt, atque tam pollicem manus dextrae, quam sinistri pedis articulum, aeger quidquam movere potuit, alvum vero bis deposuit. Partes oedematosae panno calido, ter in die, fricantur, ac victûs quidquam augetur ratio.

Sic res, per triduum, aequo more procedunt, ac tres nunc eo praescriptis pulveribus, superaddito eisdem aconiti grano altero, aeger per diem assumit; partes vero paralyticae, spiritu vini camphorato bis in die lavantur. Trigesimâ interim novembris, ac primâ decembris, insultus quasi asthmaticus hunc juvenem prehendit ac, sub

aucta respirationis frequentia, sub stertoribus, suffocationis pericula terrent.

Die 2. decembris, insultus asthmatici sedantur quidem; dyspnoea vero adhuc continuat. Caput interim liberius utrumque in latus movetur, ac altera jam die, aeger manum, et antibrachium dextrum, nec minus extremitatem inferiorem sinistram movet. Linimentum nunc volatile cum camphora illinitur his partibus.

Quintâ decembris, loco decocti, pulvis, ex corticis peruviani uncia dimidia, ex radicis arnicae drachmis duabus, et extracti aconiti granis duodecim praescribitur, ac eodem in sex partes diviso, ter in die pars una porrigitur.

Subortâ interim, sub usu hujus pulveris, vertigine, extracti aconiti dosis, quatuor granis imminuitur. Detectae nunc in brachio sinistro fuerunt cicatrix ac ossis subjecti inaequalitas, quas aeger, ex ulcere praegresso, ut videtur scrophuloso, venire, fatetur. Tumoris oedematosi ratione, partibus paralysi hucusque adfectis, sacculi tepidi speciebus cephalicis et camphorae portione repleti, imponuntur. Pedibus ta-

men aeger jam insistere valet; in manu vero sinistra sensus ardoris accusatur.

Die 10. decembris, unguentum mercuriale, alternis diebus ad drachmam dimidiam columnae vertebrali quotidie illiniendum ordinatur. Utroque in brachio nunc tumor imminuitur, dextri vero motus longe liberior observatur.

Cum vero 18. decembris, brachii sinistri paralysis continuaret; ad plexus brachialis decursum, emplastrum vesicans ponitur.

Tumor interim oedematosus ad manus augetur; atque hinc die 22. decembris, pulveribus ex cortice chinae ac radice arnicae, scillae marinae extractum aquosum ad quatuor grana superadduntur. Augetur abhinc urinae secretio; sed paucos post dies diarrhoea, aegrum debilitans, subsequitur. Seponuntur hinc pulveres, et aquae menthae unciae tres, liquoris anodyni drachma dimidia, et laudani liquidi guttae decem, paulatim sumenda praescribuntur. Fraenatur quidem, hujus auxilii ope, alvi fluxus; sed usque ad secundam Januarii 1798. saepius hic revertitur aegrique vires prosternit. Fomenta hinc aromatica et vinosa adponuntur

abdomini, ac laudani dosis ad viginti guttas augetur. Diarrhoea quidem hac ratione compescitur; sed urinae secretio post aliquot dies imminuitur. Pars igitur ultimi pulveris dimidia iterum, quater in die, simulque medicinae paregoricae uncia dimidia porrigitur.

Die 4. Januarii. Urinae secretio aucta restituitur; diarrhoea cessat. Movetur jam dexter etiam humerus. Antibrachii quoque sinistri motus nunc restituitur; odema in integrum disparet. Decimâ januarii, vix amplius tumoris ad nucham vistigium superest. Brachii sinistri quoque mobilitas vix non normalis redivit. Imminuitur nunc scillae marinae dosis, continuato interim cortice chinae cum radice arnicae.

Hac igitur ratione vires quam optime redeunt, paralysis in integrum disparet, ac die 18. Februarii aeger, perfecte restitus, ad suos laetus redivit.

EPICRISIS.

Historiam morbi hic breviter illustrandam adgredimur, quo morbo juvenis parce nutritus, gracilis, in atmosphaera uliginosa educatus, ab infantia ad labores ac ad vi-

tam sedentariam condemnatus, hinc ad habitum non minus scrophulosum, quam rhachiticum dispositus; laboravit. Quaecunque vero causa proxima morbum supra descriptum evolverit; diagnosis istius adfectionis, quamvis haud animadversa medico, non fuisset difficilis. Dolor scilicet acutissimus cervicales ad vertebras defixus, nec minus ad caput omne extensus, nisi simul calorem, tumorem ad nucham externum manifestasset, *chirurgiae* ad forum a medico praepostere remandari nequaquam potuisset. Ab illo, fomentum *tepidum* tumori imponi jubetur; vix interim solius judicio vulgi, quod frequenter experti sumus, *tepor* a *calore* satis accurate distinguitur, et mox ab adplicito caloris externi hoc stimulo, febris, nisi ignis jam antehac sub cineribus dolosis latuerit, accenditur. Diaphoreticis auxiliis debellatur haec febris, ac dolor ad nucham imminui videtur; cum vero similis fere nunc in brachiis pedeque sinistro dolor ingrueret: *rheumaticum* sive arthriticum hunc esse, chirurgus conclusit. Non quidem hanc morbi scaturiginem, ut prorsus improbabilem, repudiabimus; sed non omnis dolor artuum, mox igitur ad

arthritidem pertinet, et quodcunque *medullae spinalis* incendium, nervorum, quos hoc alterum quasi cerebrum artubus impertitur, sensum, quem tardius obtundet ac delebit, prima sub invasione, ad summum fastigium exacuit. Ac revera, vehemens ille, tam nuchae, tres ad vertebras tumentis, quam capitis in *scrophuloso* juvene, dolor, quid in cervicalium specu vertebrarum, ac istarum spongioso in meditullio contingeret, eo magis docere potuisset; quod osseus tumor, quamvis hucusque indolens, eodem tempore, in parte sterni superiore comparuerit; quod febris, huic cervicis adfectioni sese adjunxerit; quod utrumque ad brachium pedemque sinistrum dolor, — sub isto autem torpor, ac demum extremitatum illarum dolentium paralysis, hisce symptomatis successerint. Excepta paralysi artuum haud alia fere ac saepe minoris vehementiae phoenomena, scrophulosis utriusque sexûs in prolibus, quas *paedarthrocace* aut, huic malo certe adfinis, *spina ventosa*, invaserunt, observatur; et quae *Ticini*, jam anno 1788, in oratione academica, „de

rachitide acuta et adultorum," docuimus*), ea, sicut *Kyphosis* in genere, sub qua toties vertebrarum una vel altera, ab inflammatione his in ossibus occulta tumet, dolet, ac tandem a carie exeditur, quam saepe columnae vertebralis morbi, prima sub invasione, a medicis praetervideantur, commonstrant. In recentiore celeberrimi viri nostrique amici, *Joannis Bapt. Palletta*, opere**), „de duobus rarioribus cervicis tumoribus," observationes continentur, in quarum prima, vir 30 annorum, tumorem ad latus colli dextrum, inter processum mastoideum ac sternum, passus est. Aderat brachii dextri movendi difficultas. Setaceum adhibitum fuit et effluxit lympha flavescens ac tenuis. Post aliquot menses, hic aeger subito periit. Processus transversi quatuor cervicis vertebrarum carie adfecti, nervique inter eos prodeuntes fere nudati erant. Alterum, ibidem, de puero exemplum, primo felicius, exponitur, quod, ope cauterii, sanationem admisit.

---

*) Continetur in delectus opusculorum medicorum Vol. V.

**) Exercitationes pathologicae. Mediolani, 1820; in 4. p. 62—63.

EPITOMES
DE
CURANDIS HOMINUM MORBIS.

DE NEVROSIBUS
CAPITA DUO CUM DIMIDIO.

CLASSIS SEPTIMA.

N E V R O S E S.

GENERALIA DE NEVROSI.

§. 939. Hucusque *distincti systematis* in corpore humano tantam rationem non fecimus, ut ex ejusmodi consideratione, magnos adeo in arte profectus scaturire credendum dederimus. Quaecunque scilicet *peculiaris* systematis in toto sit auctoritas; vix tamen, in generali rerum pertractatione, *separatim* illud exponi, et a totius nexu, quin doctrina vacillet, ac justo majora *uni* tibuantur, potest divelli. Alio tamen ordine, dum sermo est de *morbis nervosis*, incedere nos jubent summa objecti dignitas, — ipsa adeo inquirendae materiae, quatenus cum systemate universo conspiret, difficultas ac densa caligo. Si vel solo de *homine*, qui, ut *cogitet*, *moveatur*, constructus est, quaestio nunc foret: hunc in *medulla nervosa* unice

Classificationis ratio.

quaerendum, et partes quascunque demum alias, quibus ille instruitur, huic modo *vicarias* esse, cum claro viro credi omnino posset; quo quidem sub aspectu, si majorem *systemati nervoso*, quam coeteris, attentionem daremus, facile excusandi videremur. Etsi vero et musculis, et partibus bene aliis, non omnis a *nervo* tributa sit actio; etsi motus humorum, beneficium, quod ab isto agnoscit, eidem mox ita restituat: ut, quod sibi plus debeat systema, vasorum, aut nervorum, difficile sit dictu; etsi et plantas sine nervis vegetare ac vivere fateamur; etsi demum concessa medullae nervosae praestantia, qua pollet, magna, organorum tamen simul sumtorum major sit auctoritas; — donec meliorem oeconomiae animalis cognitionem adquisiverimus: *systemati* nervoso *classis morborum* sedem vel coacti adsignamus.

Syst. nerv. Quid? §. 940. Per *systema* vero *nervosum*, cerebrum, cerebellum, et medullam oblongatam, spinalem, et nervos per corpus dispersos eorumque ganglia, plexus, et expansiones intelligimus. Concessa quoque his partibus *involucra*, etsi nimium quondam eisdem tribuerint; ob majorem tamen

in contentam medullam influxum, adnumerari illis ipsis haud implicat.

Quemadmodum vero de sanguine jam diximus, illum a *corde ramoso*, per omne corpus, canalium sub specie, *diviso* ac *unico*, contineri, moveri: ita et *cerebrum*, *cerebellum*, *medullam spinalem*, non sola in calvaria, aut in totidem vertebris, quae cum ista conveniunt; — sed ubicunque nervus esse dicitur, — divisum quidem ac, varia sub forma, varias ad functiones destinatam, sed *unum* idemque haerere, censendum est. Fluminis quidem cruenti, in corde, lymphatici liquoris, in chyli cysterna ductuve thoracico, ac medullae sentientis, in cranio centrum esse videtur; sed cum cordis cava, respectu totius massae et luminis vasorum, paucum modo sanguinum fovere, ac vi minore, quam ista, movere, — cum partem lymphae certe maximam, vasorum propriorum in sinu haerere, propelli dicendum sit; eodem fere modo, etsi aliter contenderit vir eximius, singulorum nervorum, plexuum, gangliorum, ac medullae spinalis, per omnem longitudinem emensa substantia; illi cerebri cerebellique medullae aut

aequalis, aut, — cum nervi conum fere inversum constituant, nec eundo volumine minuantur; major certe, ac pro *cerebro* non minus, quam pulpa calvariae inclusa, etsi viri de anatomia bene meriti contrarium defenderint, habenda est. Saltem, nec a nervorum reunione, cerebrum — nec a cerebro, nervorum originem posse derivari, certum est; nec universi cerebri integritas ad absolvendas sensuum functiones necessaria est; nec nervi, nec medulla spinalis, pro cerebri, — nec cerebrum pro medullae spinalis, continuatione vel appendice haberi queunt; sed omnes hae partes speciatim existunt, ac minime a se invicem dependent. Absque cranio, ac proinde sine cerebro, vixit crevitque agnus, cujus cadaver museo *Ticinensi* commissum fuit; plura foetuum *acephalorum*, vita motuque per dies praeditorum, specimina exstant; atque tam nervos cerebro egredi, quam cerebrum a nervis adiri, — cum nervos absque cerebro, cerebrumque sine nervis exstitisse, exempla habeantur, jure aequali asseritur. Pro vitae continuatione ac pro ipso nervorum tenore, quod, jam quatuor abhinc lustris, summus nostri aevi *Germanorum* anatomicus

docuit, pars major, nisi maxima, substantiae tam cerebri, quam spinalis medullae, minus necessaria est; et plurima, quae, respectu hominis, sub cerebro longe minore, medulla spinali potentissima pollent, sanguinis frigidi animalia: ea, resecto etiam capite, non modo moventur, incedunt; sed aliquando et venerem exercent. Nulla humani quoque pars cerebri habetur, quae duritiem aliquando non contraxerit; aut quae, vel per vulnus divisa, vel ab ichore exesa, vel corrupta non fuerit: quin vitae igitur aut animae functiones se laesas esse manifestaverint. Cerebri quidem ac cerebelli, in foetu haud repertorum, phoenomenon, hydrops praegressus illarum partium saepius explicat: quo scilicet a morbo non tam soluta, erosa, quam explicata, et in vesicam tenuem expansa fuit cerebri substantia. Nec plura, quae a scriptoribus referuntur, cerebri, in osseam substantiam conversi, exempla, aliud quid, ac ipsius *calvariae exostoses* fuerunt. Memorabile omnino hujus luxuriae osseae, in medio fere calvariae, specimen nobis obtulit, *Bruchsaliae*, os pueri forsitan decennis, frontale, ex terris transrhenanis, haud

procul a *Landavia*, fortuitò effossum nobisque dono (quod a. 1785 *Georgiae Augustae* concessimus) commissum. Hoc scilicet os frontis, massam exhibuit, ambobus orbitarum sub arcubus quamplurimum prominentem, ac ea ipsa in sede, qua cerebrum basi cranii incumbit, per gyros divisam, ac pugni mediocris magnitudine partem ossis sphaenoidis hincide amplexam. Hujus quidem objecti pathologici, tam rari, delineationem ac descriptionem, noster quondam auditor, in dissertatione: „Nonnulla de exostosibus in olla capitis continente," Goettingae a. 1808 publicas reddidit; cum vero sorte his scriptis academicis nimis communi, hocce opusculum, tam plurimorum, quam nostras ad manus necdum pervenerit, ob rei tamen dignitatem, communiorem in usum converti mereatur; iconem hujus exostosis, nostris sub oculis signatam, in futuro „Interpretationum clinicarum" nostrarum volumine, si superi concedant, communicabimus. Tanta vero calvariae internae exostosis, haud unius certe nychthemeri opus morbosum sistebat; et quousque perfecta haec esset, quousque oculus uterque sua

ex orbita protrusus fuisset, oportet puerum, sine magno cerebralis substantiae subsidio vixisse. Mercatori, *Spirâ Bruchsaliae* urbem petenti, duobus a latronibus, caput magnopere percussum fuit. Praeter opinionem, miser ille eo certius restituendus videbatur: quod, omnibus functionibus illaesis, hilaris et bene nutritus, inter cives diu incederet. Exiguum modo ulcus ad frontem, per novem hebdomadas, curae cuivis reluctabatur. Hanc igitur plagam rebellem, chirurgus, sub debita cautione, supino in aegro examinans: exiguum ille in osse frontali, foramen cariosum eidem subesse, detexit. Admotum vero huic loco specillum argenteum sat longum: vix cavum ossis cariosum intraverat, ubi suo pondere plures ad pollices in cavum cranii cerebrique sedem incidit ac immersum fuit. Nullus aegro, hujus corporis illapsi sensus, — extremus chirurgo terror fuit. Extracto interim, sub mortis instantis formidine, specillo, ac fasciis loco sauciato superimpositis; mercator, istorum ignarus altera mox die, more solido egressus est; nec ab itinere, nundinarum causa *Francofurtum* instituendo, retineri ullo modo potuit.

Hoc ad emporium per triduum profectus, paucos post dies erysipelate ad faciem prodeunte, hic miser, magna cerebri parte jam diu suppuratus, occubuit.

Plura certe, huic fere similia, exempla, chirurgorum in fastis conscripta sunt; et, quod soli interdum nervi ad vitam et corporis animique alacritatem tuendas, sat longo tempore sufficiant; ac *cerebri* partialis officio fungantur, abunde ostendunt.

Haec interim, quo minus sua cerebro, cerebello, medullae oblongatae, spinali, in quibus nervi omnes vel oriuntur, vel concurrunt, sua stet auctoritas, haud impediunt. In homine scilicet sano ac debite constructo, mutuum, inter cerebrum, cerebellum, medullam oblongatam, spinalem, et nervos quoscunque intercedit commercium. Pressâ aliquamdiu portione cerebri, mox somnus, ac partis, cui nervos illa transmittit, paralysis, sicut in brutis animalibus, ita et in homine succedunt. Eadem a calvaria intropressa, a vasis praeter modum dilatatis, ab aqua, sanguine, pure, ichore, a tumore, corpore peregrino quovis, in ossibus, membranis, sinubus calvariae, aut in ipsa cerebri, cerebelli substantia haeren-

tibus, contingunt. Nervo quocunque compresso, ligato, dissecto, musculi, qui ramos ejusdem, *sub* parte intercepta, adquirunt: sensu motuque voluntario privantur; quae vero partes, ramis nervi ejusdem ligaturâ *superioribus* instructae sunt: hae sensum motumque, ut antehac, conservant.

Etsi vero nervus, quousque demum vertatur, semper idem, vel *sensui* praesit, vel *motui*; varia tamen pulpae sentientis, moventis; non motae, origo, connexio, distributio, expansio, magnam illam sensuum motisque varietatem inducere videntur.

Quaecunque interim, tum in quovis animali, tum imprimis in homine, vel sano, vel a morbis vexato, nervorum sit auctoritas; dolendum tamen est, primis artis salutaris parentibus, exceptis scholae *Alexandrinae*, iisque sui temporis anatomicis, ob firmiorem forsitan hominum progeniem, ac vivendi rationem simpliciorem, etsi nulli sane aevo morborum nervosorum defuerit occasio, — perparum tamen de ista perspectum, ac nervosa symptomata fere plurima, *deorum* potius *arbitrio, daemonumque praestigiis* adscripta fuisse. Prima quidem experimenta cum nervis, laqueo

ligatis, vel et dissectis, in animalibus brutis mature satis instituit vir magnus, *Pergamenus*; aliqua ipso in homine, casu, *chirurgia* suggessit; sed illius vestigia diu vix pressit posteritas; donec, motu sanguinis vitali tandem detecto, nervosi quoque systematis naturam perscrutata sit saeculi decimi septimi industria. Ab eo quidem tempore, plura per lustra, huic doctrinae, praeter insulsas hypotheses, modo parum accessit; donec saeculo decimo et octavo, sextam sui ad partem et ultra absoluto, viri summi ingenii eandem exornandam inceperint, ac suis observationibus locupletarent. Hos secutus est vir celeberrimus, qui nos in *Ticinensi* cathedra antecessit. Tum antehac, tum ab eo fere tempore, anatomici insignes, in cerebro nervisque perscrutandis felicissime versati sunt.

Quantum interim cerebri nervorumque in studio hucusque profecerimus; qua tamen ratione medulla illorum adficiatur, ac ipsa in musculos dominetur, ignotum est. Nec etenim vel trahendo, vel oscillando haec apta est; nec liquidi nervei, nec influxûs vitalis materiae electricae, rationi satisfaciunt hypotheses. Atqui tantis circa sy-

stematis nervosi functiones sub *normali valetudine*, ex tenebris, quam parum de cerebri nervorumque actionibus in *morbis* noscamus, eruitur.

Etsi vero haec ita se habeant; fidelis tamen illorum observatio, quae sano non minus, ac aegro in homine contingunt, — causarum, quae, hac utraque sub vitae conditione, effectus in omnibus vix non similes producunt, attenta consideratio, aliquam hìc lucem accendunt, et junctis medicorum laboribus, majorem tandem doctrinae de morbis nervosis perfectionem exspectare nos jubent.

§. 941. Nec tamen scriptores, qui morbi *nervosi* dicendi sint, inter se consentiunt. Sunt, qui omnem fere morbum *nervosum* esse praetendant: eo quod scilicet motus omnes morbosi, ab illis nervosi systematis derivandi sint. Alii, omnem nervorum actionem laesam, morbi *nervosi* nomine salutant. Adfectus esse, qui, ob peculiarem nervorum sensibilitatem, aut aliam conditionem morbosam, a causis excitentur, quae similes effectus in aliis hominibus non habeant, hic asserit; — alter, adfectus, quibus morbosa partium sensi- Variae definitiones.

bilitas, irritabilitas conjuncta, et in quibus symptomata, nec inter se, nec causis manifestis respondentia comparent, *nervosos*, — laesiones vero nervorum, quae a causis manifestis atque in constitutionibus etiam validis sufficientibus nascuntur, *morbos nervorum* potius dicendos esse, autumat. Ab aliis, *nervosi* vocantur morbi, qui systema nervorum fere solum, vel saltem primario, neque simul vel sanguinis circuitum, vel humorum naturam, nisi secundariò adficiunt. Internae nervorum conditionis laesionem, aberrationem mistionis et formae, cum functionum propriarum nobisque conspicuarum perturbatione, morbos *nervosos* sistere, declaravit vir clarus. Postremo, nevrosin esse laesionem sensûs et motûs, absque febre et adfectione locali, quin ea, in genere, sui vestigium ullum post mortem relinquat, scriptor haud minus celebris defendit.

Difficultates. Atqui, omnes *nervosos* esse morbos dicentibus, quid demum ex hac assertione rei medicae utilitatis accedat, perpendendum relinquimus. Ad secundam opinionem quod pertinet, si vermes, intestina vellicando, convulsiones induxerint; ideo-

ne in nervis causa convulsionum, morbique cura in istos dirigenda est? — In hernia, singultus: igiturne diaphragmatis haec convulsio et laesa nervorum actio, nervosi systematis morbus est, aut remediis huic ipsi admotis sedabitur? — Quod causa, quae similes, ac in istis, effectus non producat in aliis, *nervosum* esse morbum manifestet: hoc vagos nimis huic ipsi characteres adsignat. — Num causa morbi nos fugiat, nec ne; num inter illam, quam, seducti, pro vera amplectimur, et ejusdem, ut putamus, symptomata vel consentire, vel sibi contradicere nobis videantur: hoc certe, propriae scilicet ut genus inscitiae, morbi indolem definire haud poterit. *Morbum nervorum*, a *morbo nervoso*, si modo nervus, nec tamen partis, quam adit, functio laedatur, distingui haud implicat. Humorum a morbo circuitum indolemque non adfici: id hujus naturam *nervosam* non arguit; num vero primario, num secundario effectu circuitus fluidorum aliquando adficiatur; difficili hoc opera eruitur. — Mistionis formaeque in nervis mutationes, nisi medicos oculos plerumque laterent, ubi func-

tio illorum simul infracta est, *nervosum* esse morbum, utique docerent. Donec igitur, capiendis nervorum *sanorum* functionibus pares, *aegrorum* naturam cognoverimus, morbi, quorum causa, ipsi pulpae sentienti inhaerens, istius functiones primaria actione, vel in toto, vel in parte, nunc nimis extollit, nunc deprimit, aut delet, aut vero pervertit: *nervosi* nobis dicentur.

Divisio. §. 942. Mox vero, ut jam diximus, *universum* nervorum systema, mox *pars* hujus modo una vel altera, *locali* adfectione quin igitur *nevralgias*, clarorum exemplo virorum, a *nevrosibus* separare vellemus, aegrotat. Primo autem sub casu, vel in *virium* vitalium *superabundantia*, vel in *paupertate* earundem peccatur. Sicut aliis denique morbis solenne est: ita nevroses hoc sub coelo *endemicae* vel hac aut illa sub rerum externarum positione, *epidemice* dominantur. *Parentum* quoque *jure* non raro in proles hae transeunt; *connascuntur* in aliis. Nunc *simplex*, nunc vero *composita* est nervosa adfectio. Quamvis autem, quo morbum vere nervosum diceremus, causae,

ipsis in nervis haerentis conditionem posuerimus (§. 941.); ne tamen rerum confusio nascatur, ac iisdem symptomatis stipata aegritudo diversis in locis pertractandam se sistat; morbos nervosos *secundarios* illos, cum summo viro, aut *pseudonervosos* adpellare et nobis liceat: qui aliam quidem per causam, ab ipsa laesione nervorum distinctam, sed potissime in nervos agentem provocantur, ac istius magis, quam ipsorum nervorum, sub cura respectum expostulat. Sic morbum attonitum, aut tetanum, aut catalepsin describentes: eo minus illarum quoque specierum, quas aut vermis aut calculus, aut consuetae secretionis retentio producit, mentionem omittere possemus: quod cum ipsis his causis non raro primaria nervorum adfectio complicetur, ac abinde non parum incrementi adquirat. Sano scilicet ac robusto in corpore, pars una alterave, stimulum localem sat fortem sustinebit, quin omnis mox humana machina adficiatur; cum idem ille stimulus, in homine debiliore, varia per omne nervorum systema phoenomena morbosa producat. Magnus certas corporis inter partes *con-*

sensus observatur. Hanc quidem *sympathiam*, ut vocant, mutuum nervorum inter illas commercium hincinde explicabit; sed saepius omnino partes hoc eodem, aut majore nervorum commercio instructae, aut parum, aut nihil a parte adfini stimulata moventur: cum interim aliae, longe remotiores, summum sibi cum parte laesa, *non a nervis*, sed ex lege nobis ignota, consensum esse adeo testantur: ut majora saepe in parte consentiente, quam in qua nervus primum stimulatus fuit, phoenomena oriantur, minus certe inter uterum et mammas, quam alias inter partes, a nervis commercium; summus tamen consensus est. A clavo, plantae pedis infixo, maxillae inferioris spasmus inducitur. In cynanche parotidea, facile testiculus, aut ubera, ovaria, tumore prehenduntur; ac, *sympathicus* hinc frequens nervorum morbus est, cujus quidem sedem in nervo, sed remoto, ac longe minus aliis adfini, quaesiveritis. Non inutile erit hic notasse: morbos nervosos haud raro, varios in fines, praecipue autem ab astuto mulierum choro, *fingi*, ac non exiguam

artis in offensionem *simulari*; alias vero, quoties id utilius sibi videtur *dissimulari*.

Cum vero tam magnus sit morborum nervosorum exercitus: juvabit sane illos, qui magis inter se conspirant, aut adfines sunt, saltem ordinis melioris gratia, in unam quasi cohortem distribui. Est, qui quatuor *nevrosis* ordines constituat: *comata* scilicet, *adynamias*, *spasmos*, *vesanias*. Alterius viri clari divisio est nevrosium, 1. in eas, quae *oppressioni virium* in organis sensus conjunctae sunt; 2. in eas, quae *spasmum* comitem habent; 3. in eas, quae in *morbis animi* consistunt. Quatuor nevrosis ordines nos quoque ponimus: *debilitates* nempe, tum veras, tum modo adparentes; *spasmos*, *dolores*, et *vesanias*. Ad primum ordinem revocamus: *vertiginem*, *apoplexiam* cum *paralysi*, *tremores*, *dyspepsiam*, *syncopen*, et *asphyxiam*. Ad secundum referimus: *tetanum*, *priapismum*, *catalepsin*, *choream S. Viti*, *hypochondriasin* et *hysterismum*, *convulsiones*, *epilepsiam*, *hydrophobiam*, *raphaniam*, *asthma*, *pertussim*. Ad tertium remandamus *otalgiam*, *odontalgiam*, *cephalaeam*,

cardialgiam, *colicam*, *arthritidem*, *podagram*. Ad quartum denique numeramus: *nostalgiam*, *noctambulismum*, *furorem uteri*, *hebetudinem*, *cretinismum*, *melancholiam* atque *maniam*.

Symptomata generalia.

§. 943. Morbis nervosis, ordine nobis magis commodo divisis (§. 942.), superest, ut eorundem *symptomata* universim hic exponantur. Haec autem vel in *sensuum*, vel in *motuum*, vel in *utrorumque simul*, a lege sanitatis aberratione consistunt. *Sensatio* nunc *acuta nimis*, nunc *obtusa*, vel prorsus *abolita*, vel demum *abnormis* esse potest. Haec non magis sensuum externorum, quam internorum, aut sensorii communis organa concernunt, ac morbos animi, sic dictos, constituunt. Quoad *motum* fibrarum muscularium, quae partim voluntati subjectae, partim istius imperio subtractae, utroque vero in casu a proprio sibi stimulo sanis in hominibus blande reguntur; ille nunc limites praescriptos *excedit* ac, nimis violentus, aequo magis protractus, vel inordinatus est; nunc vero *languet*, ac ad jussum voluntatis, aut ad stimulos consuetos, minus quam par est, ac pigrius, vel nequaquam, respondet. Contractionem

musculi violentam, morbosam, *spasmum*, — si iste mox cesset, mox redeat, *convulsionem* dixerunt. Languorem partis, fibra musculari instructae, voluntatis, vel consuetum ad stimulum, minus commotae, *atoniam*, *paresin*, — omnem vero ejusdem movendi facultatem sublatam, *paralysin* adpellarunt. Saepius sub ista, sensus tamen superstes, ac sano interdum major est. Raro satis, sensu partis ablato, movendi illam facultas haud laesa est. Illustre interim hujus phoenomeni nobis exemplum, a. 1806, *Petropoli*, matrona *Polona* obtulit. Haec scilicet, post puerperium, ante aliquot menses absolutum, nihil aliud accusabat, quam sensuum omnium, exceptis modo illis *auditûs* et *visûs*, abolitionem. Odorem nares, nullum, — lingua, nullum saporem, — cutis, tactum nullum percipiebant. Similia de partibus *internis*, de intestinis, de utero, ac de vagina referebat aegra: nec enim cibos ea in ventriculo, nec ad intestina quidquam ab illis persentire solebat. Cum *plicae polonicae*, forsitan latentis, in nobis suspicio nata esset: in hujus morbi symptomata inquirentes, de istis nullum reperimus. Eâdem vero sensuum abolitione, ante

aliquot jam annos, laborans, hoc tandem a malo, quin aegra adhibiti remedii conscia esset, restituta fuit. Post varia subsidia excitantia, incassum adhibita, *Moscuum* aegra petiit, et hac in Metropoli, *galvanismi* in uterum directioni submissa, nec istius influxum percepit. Deambulabat interim libere mulier; sed nec lassitudinis exinde; nec aut moeroris, sensum aut laetitiae illum amplius experta est. Menstrua nihilominus debito ordine fluebant. Frequentius et sensus et motus simul amittuntur, et partis adfectae functio in totum abolctur. Nutritio interim, quod vasa, cruorem illi advehentia, nervos aliâ et longinqua ex parte agnoscant, non ubique supprimitur, ac media fere in morte vivunt ac moventur arteriae. Ipsi vero *nervi*, exceptis modo mollioribus, v. c. olfactorio ac optico, haud raro corruptioni vicinae, suppurationi, vel adeo gangraenae, diutius, quam soli musculi, restitisse sunt visi.

Pro partis vero, quam morbus nervosus infestat, dignitate ac indole, diversa, atque nunc levia satis, nunc autem horrenda adspectu symptomata, suo quaevis loco exponenda, sequuntur. *Cerebro, cere-*

bello adfectis, aurium susurrus, tinnitus, dolor, surditas, vertigo, clavus, hemicrania, cephalaea, carotidum vibratio, deliria, mania, hebetudo, fatuitas, sopor, coma somnolentum, apoplexia, paralysis musculorum faciei, labiorum, linguae, hemiplegia lateris oppositi, alterius, universi corporis convulsio, pupillae contractio, dilatatio, lucis intolerantia, amaurosis, bulbi oculorum distorsio, aeruginosae bilis vomitus, saepe hepatis, nec minus viscerum abdominis aliorumque, abscessus, partim exspectanda sunt. — *Faciei, oris, fauciumque nervis adfectis*, trismus faciei, odontalgia, dentium stridor, odoris, saporis mutatio, jactura; linguae tremor, titubatio, retractio, ore exsertae, obliquitas, prolapsus, convulsio, resolutio; dysphagia spasmodica, paralytica, oesophagi inflatio, constrictio, alalia, aphonia, vocis inflexio, raucedo, salivae frequens exspuitio, et foeda ejus, pendula inter labra, defluxio, aut ab eadem, a bolo per rimam glottidis, claudi nesciam, illapsis, tussis spasmodica, suffocatio, capitis tremor, vacillatio, inflexio, rotatio, tetanus maxillae. — *Medullae spinalis adfectae*, innumera sunt sym-

ptomata. Quo propior illius ad caput, et quo célerior est laesio: eo magis letalis esse consuevit. Quae profundius et lentius hìc mala oriuntur vel ad vertebras, spina sic dicta bifida, cyphosis, lordosis, caries, semiluxatio, vel in specu vertebrarum inflammatio, hydrops acutus, suppuratio, erosio sèu caries, fluidorum stagnatio, accumulatio, perversio: haec partis, quae, sana, a nervo spinali sensum motumque trahebat, inertiam, stuporem, tremores, paralysin ac varia, pro functionis laesae natura, symptomata, brachiorum scilicet, frequentius crurum, paralysin, dyspnoeas ac morbos, diaphragmatis, ventriculi, intestini recti, vesicae sphyncterum resolutionem, urinae incontinentiam, retentionem, vel utramque simul, letales partium resolutarum gangraenas, inducunt. — *Thoracicorum nervorum adfectio*, suspiria, tusses spasmodicas, dyspnoeas, asthmata, cordis motus abnormes, singultus imprimis, habet pedissequa. — *Nervorum abdominalium* per causas morbosas, nervis magis infestas, *invasio*, diros viscerum hujus cavi, maxime ventriculi, intestinorum cruciatus, spasmos, distensiónes eorundem violentas, ato-

niam, aeriformis, faecalis materiae hoc in tubo collectionem, corruptionem, meteorismum, tympaniam, borborygmos, flatus, vomitum, alvi obstructiones pertinaces, humorum in hepate, pancreate, intestinis, secretiones perversas, peritonaci hydropes puriformes, cruoris in systemate venoso stagnationem, varices, profluvia serosa, mucosa, puriformia, cruenta, prolapsus, hernias diversas, pro sociis agnoscit. — *Nervorum, qui pelvis visceribus prospiciunt*, adfectiones nervosae, apud foeminas, uteri, tam vacui, quam praegnantis, tumultus diversos, contractiones spasmodicas, catameniorum interceptiones, secretiones inordinatas, haemorrhagias, abortus, placentae, lochiorum retentiones, ovariorum inflationes, tensionem, ardorem, tumores varios, hypogastrii, lumborum dolores atroces, furorem uteri, — apud viros, coeundi impotentiam, pollutiones nocturnas, priapismum, — utroque in sexu, vesicae urinalis spasmos, paralyses momentaneas cum lotii suppressione, incontinentia, dysurias, medorrhoeas insontes, dolores, tenesmum ad anum, haemorrhoidum symptomata, et alia provocant.

Quamvis interim haec ita se habeant;

cum tamen remotioris saepe nervi adfectio, in locum non suum fere magis, quam in proprium, exemplo renis, a calculo vexati, aut uteri morbosi, in ventriculum agentium, dominatur; magna certe, ne a sede symptomatum, ad illam causae concludatur, cura, quam alibi docebimus, requiritur.

Pro tantis vero a morbo nervoso turbis, totum corporis systema haud semper adeo, quam timeri ut posset, adficitur. Ipso quidem spasmorum, convulsionum sub impetu, arteriae contractae, exiles, frequentes, inconstantes, cutis aspera, sicca, vel adeo sudore viscido ac frigido obtecta, pallida, urinae crudae, aquosae, observantur, interdum vaniloquia, risus, cachinnus, lacrymatio, multa loquacitas, oestrus, ut vocant, poeticus, vaticinatio, cantus occurrunt; illo vero sedato, quies mox redit, functiones turbatae componuntur, et vix tantae morbi horrendi reliquiae, si forsitan soporem sat profundum, insultus epilepticos haud raro subsequentem excipiamus, supersunt. Quidquod ipsa hominis, vix tam male tractati, his scilicet aerumnis periodicis adsueti, valetudo incrementum abinde coepisse, ac nisi soliti insultus redirent,

pejora pati sit visa. Sunt adeo, qui nervosis adfectionibus frequentius detenti, prae hominibus robustis ac sanissimis, immunitate quadam a morbis epidemicis, contagiosis et aliis, gaudere observentur. Nulla tamen magis, quam nervosa incommoda, *periodum* inire ac, semel contractam, pertinaciter retinere amant.

Tametsi vero *febris* vere continuae, *nisi lentae*, consortio raro delectari soleat *primaria* nervorum adfectio; *intermittentis* tamen illud adeo non respuit connubium: ut in locis, sub coelo calidiore, paludosis, nullum sit isto frequentius; vel, quod rectius est dictum, ut nullo, quam *febris intermittentis subcontinuae*, proteiformi sub habitu, majore rerum discrimine illinc imprimis, incedat morbus nervosus. Ipsas adeo febres intermittentes communissimas magisque benignas, pro morbo *nervoso* habuit vir clarus.

§. 944. Magnâ circa *causas* nevrosium sub caligine incedimus. Quodsi vero manu cauta experientiae non minus, quam huic suffultae rationis filum sequamur; lucis tamen aliquis nobis tandem radius splendebit. Causae.

Vitia organica.

Ac primò quidem, *vitia* nervorum *organica*, per sectiones pathologicas illustrata in opem vocandâ sunt. Haec vitia, ex partibus, quae cerebrum, cerebellum, medullam spinalem, aut nervos *investiunt*, morbosis, frequenter nascuntur.

Calvariae,

Calvaria, in prima hominis aetate tenerior, membranacea et flexilis, pluribus ex particulis constans, donec istae se mutuò attingant coeantque per suturas, in foetu vix utero excluso, tribus in locis hiat: *fontem pulsatilem*, *fontanellas* vocarunt. Haec ad loca, substantia cerebri, cerebelli, modo parum custodita est, motumque pulsantem edit: unde promta et facile letalis ejusdem contusio, aut compressio, aut quaecunque demum laesio est. Vel ipso partûs difficilis, artificialis, sub opere, forma calvâriae non parum mutatur; cessante vero compressione, nisi manus incautae obstetricis supplere conetur; sensim iterum et sponte restituitur. Haud raro interim, per imprudentem forficum aut vectis obstetricantium adplicationem, tenerae pusionis calvariae ipsique contento cerebro, violentia, incendii istius, aut hydrocephali acuti, vel chronici, aut hebetudinis vix un-

quam auferendae, causa, infertur. Praeterea citior aut lentior in tenera aetate calvariae, in osseam substantiam conversio, suturarum praematura, vel tarda nimis concretio, vel sera disjunctio, variis omnino morbis, ob cerebri, cerebelli, extensionem nimis circumscriptam, vel ob luxuriantem eorundem substantiam, occasionem largiuntur. Extimam durae menyngis laminam, internae calvariae superficiei arcte adhaerentem inter et ipsum pericranium, ossea sensim sensimque deponitur substantia, suamque calvariae consistentiam largitur. Major vero aut minor ac par est, ossea illius materiae adpositio, cranii densitatem, elasticitatem praeter modum hìc auget; illinc praescindit: unde nunc major cerebro resistentia opponitur; nunc vero hujus visceris custodia imminuitur. In adultis revera, ablatâ, per trepani adplicationem, cranii portione, ac ista, per callum imperfecte restituta, major atmosphaerae mutatio aegrius hunc ad locum perfertur.

Tum inter hiantes morbose suturas, tum quo loco ossea substantia deficit, tum eo, quo *triquetra* sic dicta ossicula interruptam quasi calvariae thecam modo sup-

plent: aquae morbose collectae, menynges nonnunquam in tumorem *hydropicum* protrudunt; aut penetrante huc *cerebri* ipsius substantia: *istius hernia* subnascitur. A lue venerea, frequens utramque ad cranii superficiem *tophus* aut *exostosis* elevari, atque tum illa, tum alia quacunque a causa, *caries* in ossibus calvariae oriri, ejusdem substantia cerebri in formam erodi, perforari observatur. Quemadmodum vero cranium, fortiter percussum varios haud raro in sensus finditur ac rumpitur: ita quoque interior, seu vitrea lamella subinde a calvaria separatur, ac in cerebrum dirigitur. Spinosas in cavo cranii excrescentias, cerebro letales, nos quoque observavimus. Plura, quae ad hoc objectum spectant, infra, ubi de medullaris substantiae cerebri et cerebelli vitiis sermo erit, referentur.

Vertebrarum. Similia in totum ad *vertebras* quoque locum mala inveniunt. Vix ejusdem animalis columnam vertebralem, tum in foetu, tum in homine adulto obviam, diceretis: figuram scilicet in utero ac recens natis, perpendicularem fereque pyramidalem, — in aetate provectis, magis inflexam, — in

decrepitis, incurvam illa agnoscit. Actionis musculorum, ac incessus erecti hoc opus est. Tribus vero e partibus vertebra quaevis in foetu componitur, intermedia sibi cartilagine conjunctis. Hac demum ossis naturam induente, qui foetui negatus est, *processus spinosus* retro supperadditur. Quotiescunque autem columna vertebralis, aut una alteı ave ex vertebris, vel osseam ob indolem diutius negatam, vel quod morbosam mollitiem pars jam ossea contraxerit, a linea praescripta deflectit (cyphosis, scoliosis, lordosis) aut, quo loco minus a musculis defensa est, extensa dissilit ac finditur (spina sic dicta bifida), aut rodentem per cariem destruitur; aut, ossescente intermedia cartilagine, arcte nimis concrescit; aut, violentiam externam passa, luxatur, diffrangitur: oportet quoque medullam, ut sat incongrue vocarunt, *spinalem*, nervosque ex eadem prodeuntes, simul vel distrahi, ac situ moveri; vel comprimi, vel demum exedi, ac suo in partes sibi subjectas imperio depelli.

Atque osseam haec modo thecam, cui cerebrum, cerebellum, medulla spinalis commissa sunt, concernunt! Alia vero **Velamentorum cranii.**

membranarum quae vicinius has partes, aut nervos ambiunt, et eas involvunt, vitia sunt.

Durae menyngis, Exterior istarum, *dura menynx*, vasis sanguiferis dives, tum qua parte pro interno pericranio arctissime calvariae adnexa est, tum qua cerebrum vel respicit, vel adit sinusque constituit, vitiis quamplurimis subjecta est. Etsi nempe apud homines sanos, nullus tenaci huic tegmini sensus sit; per morbos tamen dolere, inflammari, suppurari, erodi, indurari, subjectis membranis concrescere, aut ab ossibus calvariae separari, a sanguine, a pure, ab exostosi, interiora versus distendi hoc posse, aut fungosum fieri, compertum est. Ipsae durae matris arteriae venaeque, aneurysma, varicem formasse, aut osseam duritiem assumsisse, ac tumore, motu, duritie, vim cerebro intulisse, conspectae sunt. Aliquando tamen (quod vasorum cerebri anastomosi copiosae tribuetis) haec vitia sine tanto salutis detrimento subesse, exemplum viri, cujus arteriae dextrae et carotis et vertebralis, cranio superato, osseae ac imperviae factae, sanguinem ab isto latere praecludebant, quin morbo attonito vel unquam laboraverit, docebit. Nul-

libi autem magis, quam ad suos *processus sinusque*, dura mater causis morbosis sedem pertinacem concedit. Glandularum, quae tum inter ipsam calvariam ac duram menyngen, tum inter hujus processus sinusque jacent, tumor haud rarus est. Ad internam durae matris faciem *taeniolas hydatiformes* haesisse, vir doctus conspexit. Quo longius vero durae menyngis interior lamella, sinus cerebri constituens, extenditur: eo magis morbosa illius constitutio hoc in viscus operabitur. De membranae *arachnoideae*, quae vasis evidentibus destituitur, morbis admodum parum constat. Cum dura matre eandem, non sine praeviae inflammationis in ista suspicione, concrevisse, hominum cadavera docuerunt, quos dira cephalaea saepius et diu vexaverat. Tenuissimam hanc membranam, tenaciora per fila cellulosa, cum pia menynge revinci: flatus ejusdem vulnusculo impulsus, ac eandem in vesicas attollens, ostendit. Has in cellulas aqua hincinde, — aliquando, sed rarius, et adeps, aut similis materia effunditur. Aliquando crassior ac firmior haec membrana, tum qua parte ce- Arachnoideae,

rebrum obducit, tum qua medullam spinalem involvit, detecta fuit.

Piae matris, Quae verum ac proprie solum cerebri, cerebelli velamentum, seu potius *rete vasculosum*, constituit, *pia mater*, vasis admodum copiosis instructa ac, etsi sensum, sana, non prodat, morbis tamen iisdem fere, quam dura menynx, subjecta est. Osseas in ea tunica laminas anatomici complures viderunt. Arteriae forsitan hujus retis, utpote fibris muscularibus orbatae, nisi loci angustia vetaret, facilius, quam alibi, aneurysmati forent subjectae. Haec interim angustia, quin ipsae potius *venae* piae matris, ob frequens ac diversum in reditu cruoris a capite ad cor, obstaculum, supra modum saepe *turgeant*, ac interdum *rumpantur*, non impedit. Frequentius, ac inspectio cadaverum docere videatur, pia menynx inflammata est. Hoc sub statu firmior hujus membranae cum cerebro, vasisque rubris magis notata, concretio est. Post letalem encephalitidem, pia mater saepe tumens, inflammata reperta fuit. Atqui sub hoc rerum statu, puriformis materia copiose haud raro secernitur, ac cerebrum, cerebellum inundat. Post le-

talem, a faciei erysipelate, soporem, duas foeminarum calvarias *Ticini* adperuimus: in quarum utraque, cerebellum, pia menynge summopere inflammata obtectum, ac a materia puriformi, serosa obrutum deteximus. Nec mirabimur proinde, si a tali rerum conditione, pia mater et crassior, durior, ac vix non ossea reddatur. Pia menynx, in maniaco, colore subviridi, crassissima et callosa occurrit, vel ad ossis duritiem accedens, utrimque circa sinum superiorem et processum falciformem. Etsi vero perrara, nec alibi conspecta dicatur viro conspicuo piae matris cum dura *concretio*; post letalem tamen cephalaeam, illa durae menyngi adeo fuit adcreta: ut tumorem asperum, inaequalem excitaverit, quo, sanguini ad sinum adpellenti, nullus aditus concederetur. In juvene, tres modo per dies diarrhoeâ adfecto, ac in delirium cum furore conjecto, pia menynx parvis bullulis, aqua plenis, nonnullis in locis racematim quasi congestis, obsessa fuit. Rarum quidem, sed observatione clari viri compertum est, tumores, indolis scrophulosae, ad internam piae matris superficiem haesisse.

Plexus choroidei.

Plexus choroideus, partem piae matris constituens, non tam raro, quam dicitur, *hydatides* et nobis, et aliis ostendit. Taeniolae hydatigenae sedem et in homine concessit. Decolores, in ventriculorum cerebri hydrope, plexus choroideos saepe inventos esse constat. Eosdem plexus, variis quasi glandulis scirrhosis obsitos, capitis dolores enormes, surditas, et insultus epileptici comitati sunt. Tubercula plura steatomatosa, grano milii similia, plexum praedictum obsidebant. Frequentes in plexu varices, quas haud raro nos ipsi reperimus, cruoris in cerebri ventriculos effusioni, letali non parum faventes, nascuntur. Scrophulosos hic tumores, quos alii aliquando viderunt, nos ipsi haud conspeximus. Rarissima est osseae materiae, hoc in plexu repertae observatio.

Velamenta medullae spinalis.

Omnes membranae cerebri, hoc ipsum, per specum vertebrarum descendens, sequuntur. Nec tamen aut internae vertebrarum faciei, aut medullae spinali, tam vicina *dura mater*, quam cerebro, sed saccum haec cylindricum, ossis sacri tubo osseo, acutum in conum terminandum, — interna superficie levem, vapore proprio maden-

tem, — externâ, asperum, *sinubus*, suscipiendo cruori destinatis, ornatum, pluribus in punctis specui vertebrarum adnexum, constituit. Saccum fere similem, medullae spinali, minus stricte, quam cerebro, adhaerentem, durae menyngis tubo contiguum, dicto tamen vapore distinctum, per omne os sacrum extensum, *arachnoidea* membrana efformat. Arctius omnino *pia mater* medullam spinalem; nec ultro extensa, amplectitur; ac isti non minus, suâ nempe per vascula, quam durae menyngi, *ligamenti* ope *dentati*, adnectitur. Quo loco tamen haec deest: similem per vaporem, ne mediae menyngi concrescat, retinetur. Dura igitur mater et membrana arachnoidea, profundius, quam pia menynx, descendunt, atque primam inter, aut secundam lumborum vertebram, atque imum os sacrum, caveam solae constituunt, quae nervos, ex imo dorso summisque lumbis demissos, seu nervosos, plicatos mollesque funiculos, cum adjectis arteriis venulisque (*caudam equinam* dixerunt), ac proprium vaporem, amplectitur.

Atqui, praeter internum vertebrarum periostium, omnes hae medullae spinalis

membranae, iisdem vitiis subjectae sunt, ac ipsum circa cerebrum atque cerebellum, etsi haec, ob laboriosum nimis osseae hujus specûs examen anatomico pathologicum, rarius innotescant. Nec minus dicta involucra, a variis causis externis, internis, inflammari, concrescere, duriora reddi, suppurari, exedi, a sero, hùmore puriformi, purulento, vel ex cavo calvariae hùc advectis, vel hìc loci secretis, inundari sunt visa. Effectus istorum, prout loco vel superiore, vel inferiore, membranae spinalis medullae adfectae sunt, inter se differunt: ut in illa parte, quae nervos a loco compressos suscipit, potissimùm se prodant. Brachiorum hinc interdum resolutio; in aliis, dyspnoea, ventriculi, intestinorum languor et inertia, frequentius certe crurum vacillatio, tremor, stupor, paralysis, urinae retentio et simul morbosum profluvium, sphyncteris ani subtractum retinendis in faecibus imperium, gangraenae, aliaque, suo loco accuratius describenda, symptomata, has laesiones sequuntur.

Involucra nervorum. Ipsam *nervorum vestem*, et maculas, quae eandem saepius inquinant, conside-

remus! Ipsa quidem dura menynx, exceptis *opticis*, quos interna illius lamina ad ipsos oculi bulbos prosequitur, calvariae extra limites, nulli nervo continuam vaginam largitur. Cum illa certe membrana, dum cranio nervus egreditur, arcte hic concrescit; sed calvariâ relicta, mox a tela cellulosa, per quam transit, vestem sibi magis opportunam, et qua tutius medullosa ejus substantia per regionem, pressioni obnoxiam, incedat, partim sat firmam, — exterius autem vincula, prout res exigit, laxiora adsumit. Quo major et potentior nervus est: eo firmior crassiorque, — quo mollior hic, imprimis ad ossa, comparet; eo gracilior ejusdem est tunica. Vaginae illius nervorum cellulosae, multiplices inter lamellas, vascula quamplurima, arteriosa, venosa, decurrunt, roremque blandum, mollescentem ac, sub statu salutis, beneficum, adfundunt revehuntque. Non sine ratione hinc vir celebris, „numerus, inquit, vasorum haematophororum, nervis peculiarium, tantus est, ut praeter nervos, vix alias partes reperias, vasorum copiâ ditiores." Quidquod, exceptis modo nervis opticis et auditoriis, peri-

phericae nervorum expansiones, majores arteriarum divitias, quam in suo decursu, agnoscant. Vasa lymphatica, ad nervos majores descripta, nec in minoribus deesse suspicamur. Roris interim illius secretio, sicut alias ad partes, ita et nervorum ad vaginas, variis a causis, nunc augetur, nunc imminuitur, nunc vero pervertitur. Hinc tunicâ nervorum inflammata, aut vasculis sibi propriis quemcunque in modum stimulatis: mox uberior secretio, aut *serosi*, et qui *hydropem vaginalem* constituat, — mox autem lymphatici, albuminosi, puriformis interdum purulenti, vel adeo saniosi humoris copia augetur. Adipem adeo genuinum, tunicae nervorum in cellulis fuisse collectum, culter anatomicus detexit. Nec mirum erit, si ex lympha, hìc loci morbose secreta, collecta, tenuiore serosaque ejus parte resorpta, cellularum inter se concretio, tunicae totius morbosa crassities majorque firmitas, aut constrictio, vel et variae indolis tumor succrescant. Haec certe vitia, calvariae in cavo saepe magis, ac ad nervos manifeste, eâdem nihilominus in istos, quam in cerebrum, cerebellum medullamque spinalem, actione stipantur, et

medullae nervosae coarctatae, compressae, in parte, quam adeunt, effectus, sensibilitatis nempe et motûs torporem, paralyses, caloris, nutritionis, aut et vitalitatis jacturam inducunt. Praeter externam autem, quae nervos cingit, vaginam, nunc mollem, nunc satis duram, telà cellulosa subtilis, nervorum inter funiculos et filos sese insinuat, eosque varios in sensus connectit. Piae matris continuationem dici, cohaerentem itaque cum illa, hanc tenuem vasisque pictam nervorum cellulosam, nihil impedit. Atqui hac quoque in tela nervorum subtili, eadem, quae externae eorum tunicae infesta sunt, vitia interdum haerere, vasorum morbos omnes (§§. 562 — 571) subinde locum habere, tum ratio docet, tum ipsa experientia confirmat. Membranarum, quae *ganglia nervorum* investiunt, morbi, non absimiles quidem, sed facile majoris momenti et, quod dolemus, parum, ut ganglia ipsa eorumque vera functio, nobis perspecti sunt.

His, de cerebri, cerebelli, medullae spinalis nervorumque *involucris*, brevi sermone expositis, in ea, quae ipsam illorum *substan-* **Substantiae cereb. et nerv.**

tiam concernunt, vitia inquirendum nunc erit.

Cinereae. *Cinereae* quidem cerebri *substantiae*, in foetu, quam adulto in homine, major est ratio; in quavis autem aetate, etsi pallidior sit infantibus, majorem tamen vasorum, sanguinem vehentium, copiam, quam *medulla*, agnoscit. *Venas*, quas viris conspicuis videre non contigit: subtilior tamen injectio demonstrat. Sunt, qui et *vasa lymphatica* cinereae substantiae, sat magno quidem probabilitatis, sed nullo, quod nobis quidem notum sit, experientiae argumento, attribuant. *Sensum* cinerea substantia, dum sana est, admoto stimulo haud prodit. Ex cinereae portionis vasculis fibram medullarem formari, nullo certe hucusque experimento potuit evinci.

Medullosae. Cerebri *medullam*, ut sat male vocarunt, ex fibris hincinde implicatis, quibusdam saltem ejus in partibus, componi, docet oculus, etiam nudus, ac cerebra quaedam morbosa, vel cocta, vel certum in modum tractata, de aliis docere videntur. Plura, sub tantis oculi armati fallaciis, quae satis certa sint, vix novimus. Mollior infantibus, quam adultis, et sanguine ditior ce-

rebri medulla est. Vasa interim istius sanguinea, in genere, habito nimirum ad alia viscera respectu, sunt pauca, et exigua. Color medullae senilis minore albedine nitet. In ictericis idem saepè color flavus est: quod frequenter sine labe sensuum contigisse, nos ipsi observavimus. Cerebri pars medullosa, sensu acutissimo pollet ac, vel leviter irritata, exulcerata, ingentes dolores experitur.

Nec minor *medullae spinalis* irritatae, effectus est. Quo superius, et calvariae vicinius nempe illa rescinditur: eo citius et certius animal, sub summis convulsionibus exstinguitur; et quo propior dictae medullae laesio est capiti: eo gravior sane effectus est. Virginis, exploso sclopeto, fortuitò in dorso percussae, inferiore corporis parte resolutae et viginti demum post dies exstinctae exemplum exstat. Spinal's.

Ipsa igitur *nervorum pulpa*, quae cerebri, cerebelli, medullae spinalis continuata substantia est, veram atque unicam sensibilitatis sedem constituit. Firmior quidem ac durior nervorum, quam cerebri medulla, ex eo esti quod, per plures fasciculos, subtilissimam per telam cellulosam Nervosae.

inter se connexos, quin ideo quivis ex illis propriâ gaudeat vaginula, firmata, tutius incedat. Sed vix illa hanc vestem, ad loca suis functionibus dicata, deponit; aut ad alia, per causas morbosas eâdem exuitur: cum sensum, illi, nudi cerebri aequalem, adquirat. In ipsa interim pulpae nervosae distributione, cur hìc, magis et alia ratione, lucis a radiis, — illinc, ab undae aereae tremoribus, — alibi, salinis a particulis, — ac alio in loco, a volatili effluvio adficiatur et sentiat, causa quaerenda est. Unius modo nervi, *optici* scilicet, expansionem, seu ultimum extremum, clare pernoscimus; et quae de aliorum fine, seu *papillis*, narrantur: ea hypothesin magis physiologicam olent. Infantes, foeminae, hominesque macilenti, in genere, nervos grandiores, quam adulti, quam viri, quam pinguedine instructi, agnoscunt; coeteris tamen paribus, saepius nervi, uno in homine, majores, quam in alio, sine morbo latente, comparent. Si, quo loco nervus, filo fortiter constrictus, tumorem contraxisse referatur; id ex pulpae nervosae regressu derivandum esse credimus. Nervus in vivis animalibus dissectus, dehiscit, et

utroque extremo viscidam medullam exprimit. Haec tumidula substantia, tractu temporis, firma et subdura redditur; ambo vero extrema nervi dissecti, per telam cellulosam, rubicundam, insensibilem sibi invicem junguntur. Corrupto, ligato, compresso, vel adeo dissecto nervo: pars, cui quondam *solus* ille profuerat, motum sensumque amittit.

Vitia in genere.

Quodsi vero generales has substantiae corticalis, medullaris, nervosae conditiones, ratione, qua hùc spectant, in mentem revocemus; *vitiorum*, quae his in locis subrepunt, donec plura in *speciali nevrosium pertractatione* dicendi sit locus; non sterilem prorsus nobis ideam formabimus.

Substantiae cinereae.

Ipsam quidem *cineream* cerebri, cerebelli substantiam, sub statu salutis, *sensu carere*, asseruimus. Atqui tamen, cortice cerebi inflammato, etsi major tensio et durities deesse videantur; maximi dolores nasci sunt visi. A spina ossea, parietali ex osse in cineream substantiam adacta, crudeles hac in parte cruciatus observavimus etc.; quae satis evincunt, dictam cerebri substantiam, ut partes bene alias, in-

sensiles, dum *inflammatione*, aut causa morbosa alia tenentur, sensum certe prodere, et partium, ex natura sensibilium, sortem inire. Hinc nec abscessus in cortice cerebri, cerebelli, nec durities, tubercula, nec tumor fungosus, aut quasi scirrhus, nec gangraena, a causis saltem externis semper desunt. Frequens coeterum substantiae cerebri, cerebelli corticalis cum pia matre *concretio morbosa* est, a nexu, quem communio vasorum hìc inducit, penitus diversa. Cerebri superficiem, vulneratam, interdum *cicatrice* coivisse, ex captis in animalibus experimentis constat. Frequentior post vertigines, cephalaeas, sopores, apoplexias, vasorum *venosorum* hujus partis nimia repletio, vel et sanguinis sat multi piam matrem inter et cineream substantiam effusio, aut simplex modo ecchymosis est. Aeriformis materia in vasis cerebri externis, post acutos capitis dolores, hincinde reperta fuit.

Substantiae medullaris. *Substantia medullaris cerebri, cerebelli* vitia, nobis quidem frequenter conspecta, ab aliis quoque copiose descripta fuerunt. Ac primo quidem illa, pro hominis aetate, non raro aut *mollior*, aut *du-*

rior, tenacior, ac fere magis elastica, quam erat, inventa fuit. Ad *mollitiem* quod spectat, ea quidem citiori cerebri, a morte, corruptioni haud raro tribuenda est; sed, quin haec causa egisset, cerebrum in *fatuis* justo mollius detectum fuit. Frequentius *duritie*, cerebri, cerebelli medulla in maniacis melancholicisque in hominibus peccavit. Non tam raro pars medullae una vel altera in substantiam magis *albam*, firmamque, — interdum nucis juglandis forma praeditam, conversa fuit. Levis hanc duritiem inflammatio subinde circumdat. *Scrophulosae* indolis has medullae mutationes esse, non putamus. Vidimus easdem aliquoties; et sub *sphacelismi cerebri* antiquo nomine descripsimus (§. 142.) Cerebelli, plus quam ex dimidio *scirrhi* exemplum vir summus adducit. *Tumorum cysticorum* in cerebro repertorum, etsi rariorum, specimina collecta habentur. *Steatomata*; quae alii in cerebro reperta fuisse referunt, nos ipsi haud vidimus. *Molem* cerebri, cerebelli, hinc et illam medullae, non in omnibus eandem esse: cranii, diversos apud homines, diversa capacitas satis docet; nec dubium nobis superest, ab

ista, mentis illam, non parum pendere. Sed num eâdem in calvaria, pro aetate, justo major interdum sit *moles*, — non vasorum, inconstante certe, diametro, — non aquae in ventriculis collectae ratione, sed propriae *substantiae luxuriantis* e culpa? de hoc, etsi alia sane viscera, *physconia* haud raro laborent, ac licet plura hujus vitii exempla referantur; dubitari hucusque licebit. Contrarii autem vitii, id est, cerebri, pro cranii ratione, *justo minoris*, exempla, in *fatuis stupidisque* hominibus haud desunt. Adolescentis, ab ipsa nativitate *fatui*, moles cerebri tenuior, et justo minor reperta fuit. Mente capto homini, cerebrum aequo minus atque paucioribus gyris instructum erat. Praeviis dolore capitis, febre, aestu magno, oculorum splendore, clamoribus, deliriis, mox vero somno profundo: pars cerebri medullosa *siccior* deprehensa fuit. In homine melancholico dein cataleptico; mox vero fatuo; cerebrum siccissimum, durum, flavum, et digitis friabile, — nervorum autem origines solito graciliores, reperta fuerunt. In variorum maniacorum cadaveribus, substantia medul-

laris cerebri, siccior simul ac *levior* conspecta fuit.

Etsi vero sat constans cerebri, in diversis hominibus interior dicatur forma; vel sola tamen *cranii* exterior in *conformatione diversitas*, vel nolentem cogit, ut in talia attentus sit, et effectus eorundem rimetur. Actiones cerebri, cerebelli, ex cranii ipsius fabrica (vel causâ, vel effectu hoc fiat) nunc faciliores reddi, nunc vero restringi, impediri, dubitare vix possumus. *Fatuorum*, quos *cretinos* nunc dicunt, duas calvarias, museum pathologicum *Ticinense* possidet, quarum, cum aliis collata, vix dimidia est capacitas. Certas *calvariae prominentias*, has, vel illas hominum dispositiones, capacitates ingenii, et quasi *organa*, indicare, publice per magnam Europae partem docuit vir celebris. Etsi vero multum his in rebus incertitudinis esse suspicemur; similes tamen et absque omni mentis praeoccupatione susceptos, circa calvarias, tum hominum, tum animalium brutorum, labores, historiae naturali artique salutari, non parum proficuos fore censemus. Sicut nempe craniorum, diversos apud populos vel maxi-

ma est differentia: ita et formam visceris, huic thecae osseae inclusi, non minus differre, — hujus autem diversitatis, saltem majoris, effectus, etsi minus hucusque perspectos, satis constantes esse oportet.

Tum hominis ipsius, tum animalium brutorum variorum, maxime pecorum, foetus, frequenter *absque cerebro* non modo natos esse, sed etiam, non obstante gravissimo hoc vitio organico, satis diu vixisse, priorum aevorum fasti medici docuerunt. Recentiores quidem, hunc *cerebri, cerebelli* defectum omnimodum ultro, quam debuissent, pro vero admittentes: eundem non aliter, quam ex morbo, *hydrope* scilicet hujus visceris, quo hoc ipsum, in aquas *resolutum*, et in tenuem quasi vesicam *consumtum* fuerit, nasci praetenderunt. Ejusdem tamen viri clari, qui cranii externi *significationibus* ultra modum forsitan indulsit, industria (vel primus, vel altero, quam nemo anatomorum secutus esset, posterior, inventionis gloriam ille vindicare sibi queat, parum interest) novimus nunc: *membranosam*, ex fibrillis scilicet nervosis contextam atque, mirum in modum innumerabiles in sensus

in se ipsam redeuntem, convolutam, — hinc extensionis a vaporibus et aquis, inter ejus plicas collectis, patientem esse cerebri, cerebelli substantiam: ita ut in ventriculorum hujus visceris hydrope, nec resolutio, nec consumtio istius locum habeat; sed modo forma ejusdem, functionibus animi, saltem diu, non penitus adversa, gradatim et lente in ampullam, adhuc sensilem, mutata sit.

Non rarum est in apoplecticis, sanguinem, ruptis cerebri plexûsque choroidei e vasis prorumpentem, per ipsam istius substantiam sibi vias et cava morbosa, grumo cruoris replenda, parare; vel ex uno ventriculo laterali, *dirupto septo lucido*, ut pluries vidimus, in alterum penetrare.

Adpendicis cerebri.

De *glandularum*, ut vocarunt, *pituitariae* non minus, quam *pinealis* morboso statu, cum nec functio physiologica harum partium, ut ipsius quoque *infundibuli* illa, satis clara sit; non multa, quae lectorum attentionem mereantur, referre hic valemus. Ipsam quidem *cerebri adpendicem*, quam glandulam *pituitariam* dixerunt, rarius morbosam reperiri, vir conspicuae auctoritatis edixit; et cum celeberrimus quon-

dam *Galliae* chirurgus modo semel illam, sub cerebri *hydrope*, *scirrhosam* conspexerit; in *Scotia*, ex duodecim cerebro hydropicis, nec unus quidem hanc particulam aegrotasse manifestavit. Consistentia ejusdem, in quibusdam paulo major, vix de statu morboso indicium offerre videtur. *Infundibulum* interim, in sanis hominibus cavum ac pervium, — vapori autem in cerebri ventriculis condensato, et ex illis ad glandulam pituitariam ducendo, dedicatam esse, atque nisi huic officio satisfaciat, ventriculorum cerebri hydropem subnasci, dixerunt alii: ita ut summus sui temporis physiologus docuerit: plerumque *scirrhosam* fuisse eam glandulam, cum cerebrum hydrocephalo laborasset; *obstructam* tumidamque exstitisse *glandulam*, atque *coecum infundibulum* reperta fuisse, cum ventriculi aqua pleni comparuissent. Ipse, qui „de sedibus et causis morborum" tam eximie scripsit, incomparabilis auctor, hanc in sententiam inclinare est visus; et eo in casu, in quo glandulae pituitariae aut *nullum* fuit *vestigium*, aut ubi illa *flaccida* ac satis *magna* fuit; aut ubi in eadem *humor* stagnavit unctuosus, pellucidus ta-

men; aut ubi dicta glandula *gelatina* viscida, ad magnitudinem minoris fabae, penitus oppleta fuit; — his omnibus in casibus, has vias impeditas, ventriculorum cerebri hydropem *induxisse* credebat. Etsi vero non ignobilem hujus adpendicis cerebrinae functionem esse, vel constantia promittat, qua eam natura in universis animalibus quadrupedibus, avibus, piscibus, majorem adeo in ruminantibus, repetit; nimis tamen exigua ea est, ut tanto visceri pro receptaculo esset; nec quorsum humorem susceptum duceret, viam haberet; nec ex infundibulo in glandulam iter pateret humori.

Quam *pinealem* vocarunt *glandulam*, ea, quamvis principatu inter viscera humana, quondam sibi concredito, dejecta nunc particula quadrupedibus tamen omnibus, quod sciamus, non minus ac homini concessa, medicorum attentione, et ob morbos, quibus subjicitur, non indigna est. Nimium quidem esse dicamus, eandem in homine defuisse; sed certe *mole* sua diversis in subjectis non parum ea variat. „De ingeniosiore puero (ut verbis laudati supra physiologi, huc certe spectantibus, Glandula pinealis.

utamur) eo tempore scribitur hanc glandulam *insignis magnitudinis* fuisse, quo in ea, a plerisque credebatur sedes animae cogitantis esse. Majoris certe, ovumque aequantis molis fuit in foemina sensibus orbata. Aqua saepius suffusa intumescit. Similis vesicae, aquâ plenae, detecta fuit, aut in bullam mutata in foeminae stupidae cadavere; aut in hydatidem. Copiosae sunt observationes, quae arenulas, lapillos, calculos, etiam plures, aut tophaceam materiam hac in glandula haesisse testantur; ut rarum esse dictum sit, eandem absque *calculis* reperiri; quod interim est nimium. *Ossea* pinealis glandula fuit apud alium. Cum vero non rarum sit, hisce pinealis glandulae cum vitiis, mentis aliquem errorem, ut memoriam destructam, vel perfectam stultitiam, aut saltem gravem cephalalgiam, vertiginem, adfuisse; ex altera parte, cum vitiis pene similibus, nullius tamen functionis spiritualis laesio potuit animadverti."

Medullae spinalis.

Medullae spinalis vitia, cerebri illis fere sunt similia. Atqui enim paulo ante de hydrocephalo interno cerebrique hydrope mentionem injecerimus, hunc ipsum in

specu vertebrarum saepe nimis locum habere jam alibi, potissime vero in „Oratione academica de columnae vertebralis in morbis dignitate," *Ticini* recitata, jam diximus. Hoc morbi in casu praecipue, spinalis medullae, in foetu non repertae, exempla adducuntur: quae tamen ita, ut de cerebro innuimus, interpretentur oportet. In ipsis adultis hominibus, sine ullo, vertebrarum in columna, signo externo, aquam subinde in ista reperimus. Medullam spinalem aliquoties, quin aquae hanc comprimerent, *tabescentem* ac fere *aridam*, in cadaveribus humanis deteximus. Amicum, super cono lusorio in lumbos conjectum amisimus: cui, ex gravi hoc casu, caries ad vertebras lumborum, ac in specu istarum exorta, simul vero membranae in hoc cavo contentae, ac medullae lumbalis, letali effectu erosae fuerunt. Crurum, vesicae anique paralyses, his a vitiis oriri jam diximus, ac plura de istis alibi docebimus.

De *nervosae substantiae* adfectibus morbosis nunc pauca referemus. Plurimi ex istis, cum illis, quibus medulla cerebri, cerebelli, spinalis, laborant, conveniunt. Sic nervorum vaginâ externa, vel, quae Substantiae nervorum.

hanc sequitur, membranâ inflammatis, facile et intermedia illorum funiculis, fibrillis, sepimenta inflammantur, suppurantur, pulpamque nervosam varios in modos adficiunt. Senescente in homine, coeterùm sano, nervi conspicue *teneriores* ac, tacti, cultro anatomico *duriores* redduntur. Praeterea nervi, vel ablatis eorundem teguminibus, vel muco sensuum organis absterso, longe acutius sentiunt, et consuetos antehac stimulos, sine gravi laesione haud perferunt. Tardius omnino nervi, quam partes aliae, a *gangraena*, scilicet non sua, invaduntur; ac sanissimi mediis in locis gangraena correptis conspecti fuerunt. Interim parte aliqua, quamcunque ob causàm, in integrum corrupta: nervus quoque hanc adeuns, sensim sensimque ipse corrumpitur. Morbis, quibus vasa alibi laborant: illis et sub suo per nervos ingressu adfici queunt! „Vas inter fibras nervi cruralis posterioris, his prope parallelum, nec procul a nervi ejusdem axe, conspexit vir gravissimus sanguine plenum: cujus vasis diameter lineam *Bononiensem* ferme aequabat; unde aneurysma, et varix et obstructio, in media nervorum pulpa locum in-

veniunt." Nervorum quorundam fibris interjecta *pinguedo* saepe, et, prout jam diximus, quondam sat multa, observata fuit. Post diuturnam amaurosin, vidimus et nos, nervos opticos tabe aut *marcore* correptos et quasi aridos. Ab alio, hoc in casu, nervi optici duplo minores, quam in aliis, observati fuerunt. Sub visu, non quidem omni, ablato, sed in imbecilli oculo uno, repertus fuit nervus opticus ejusdem lateris *extenuatus*. Quo loco nervorum opticorum decussatio est: tumor, ad ovi gallinacei magnitudinem accedens, coecitatem induxit. Nervum olfactorium in ipso cranii cavo, variis a tumoribus *compressum*, ac justo *tenuiorem* detexit summus anatomicus. Origini dextri nervi acustici, corpusculum durum adhaerens, surditatem induxit. Utrosque nervos olfactorios, ad os ethmoideum consumtos, vir doctissimus conspexit.

Continuum, moderatum tamen, sensuum, tam externorum, quam internorum, exercitium, functionis eorundem perfectionem longe auget; otium vero insigniter imminuit. A stimulo minore adfectus nervus: majorem mox excipit; qui autem vehemente ante hoc agitatus fuit a stimulo eoque lon-

giore: quò minorem excipiat, tempore indiget. Cui diu adsuetus fuit nervus stimulo: ab hoc longe minus adficitur. Ipsa vero stimuli consueti ablatio, quo sensorium internum agitetur (exemplo hominis, sub cantu, sermocinatione alterius, in somnum delapsi, his cessantibus, e somno excitati) inducit. Tantam vero cum stimulo frequenter excepto *consuetudinem* nervi contrahunt: ut eodem diutius privati, donec tandem hic redeat, vel omne systema subvertant: exemplo hominis; pulveri herbae nicotianae tabaci, naribus hauriendo adsueti, si hic pulvis subtrahatur, inquieti, ac mirum saepe in modum agitati. Eodem fere modo: aut ulceris cutanei, fonticuli, aut vero chronici herpetis citior sanatio, magis, quam ichoris, qui secerni tunc cessavit, resorptio et alia in loca depositio, nervosos saepe morbos excitat. Ipsi adeo convulsionibus periodicis adsueti homines, si hae ultimae, causa morbi necdum omni ablata, aut solito debilius, aut nequaquam eosdem prehendant; — donec fortior iterum accessio subintret, pejore in statu versantur. Qui sanguinis missionibus prophylacticis diutius adsueti fuerunt: ii, cum tempus easdem

repetendi praeteriverit; vel ipsam ad venam, sauciari solitam, *pruritum* incommodum percipiunt. Eidem principio fluxûs menstrui, haemorrhoidalis, praeter consuetudinem cessantis, etsi plethora haud subsit, incommoda nituntur. Qui, ob largiorem sub coena potum, mediam post noctem ad urinam solvendam excitantur aliquoties: illi, etsi potum pridem solitum omiserint, ac licet urina modo pauca in vesica collecta sit; ad mingendum tamen eâdem hora excitantur a somno. Simile in alvò certas ad horas excernenda, utile multis, imperium est.

Consideratis hìc praecipuis causis, quae cerebri, cerebelli, medullae spinalis nervorumque vitiis stricte *organicis* praesunt; ad illas nos convertimus, quae vel omne systema nervorum pessumdant, vel in partem istius agunt, quin nervi structuram pervertant, aut saltem pervetere videantur. Vitia system. nerv.

Quodsi, qua ratione nervi regantur, ac partes sibi subjectas ipsi regant, nobis notum esset; facilis foret effectuum, ex causis scilicet perspectis, explicatio; sed densa his in rebus obscuritas, ut modo eas, quas incompleta in multis experientia suggessit, prosequamur; et ex istis demum

causas, certe non ultimas, a longinquo hariolari nos cogit.

Haereditaria. Mox vero ea se nobis indoles nervrosium offert, qua, pars magna saltem illarum, ex parentibus in filios, et nepotes, se facile propagat. Sed jam sano in homine non minus, quam in bestiis domesticis, et forma corporis, et habitus genitoris cernitur frequentius in filio, maxime vero dotes illae, quae a nervorum imperio pendent, sensuum internorum promtitudo, ingenium felix, *haereditatis* quasi jure, adeo in prolem transire cernuntur: ut non ultimae dignitatis in prole creanda sit cura, qua vel et corpore et animo vir pollens, uxori sibi simili jungatur; vel, quod uno vitiosum est, ope illius, quod perfectibus in alio est, corrigatur. Non minor vero *morborum nervosorum* in filios transeundi facilitas est; et maniae, melaucholiae, convulsionum, apoplexiae, podagrae, mali hysterici, hypochondriaci, in una eademque familia nidulantis, copiosa nimis exempla loquuntur.

Congenita. Vel insonte in utero, morborum nervosorum prima interdum rudimenta poni et

cum foetu *connasci*, hydropis cerebri, columnae vertebralis, exempla satis docent.

Si vitia nervorum *organica* tollamus; coetera fere, cum ipso medicinae parente loquendo, aut a *repletione*, aut ab *evacuatione*, i. e. ex stimuli vel superabundantia, vel defectu, oriri videntur. Quae alii de nervorum *laxitate*, vel *tensione*, *rigiditate*, vel de *spiritûs nervei acrimonia*, ut causis nevrosium dixerunt: ea ut luxuriantis humani ingenii commenta consideranda esse putamus.

Hypersthenica.

Partem quidem forsitan nec centesimam morborum nervosorum, ex *hypersthenia* venire, — ac ipsas, quae per nares, per uteros fiunt, haemorrhagias, — ipsas adeo cerebri, cerebelli medullaeque spinalis *inflammationes* saepissime de virium vigore morboso testimonium haud exserere, lubenter fatemur; ast vero non ideo nulla nevrosium ex hoc fonte scaturit. Nervorum leniter tensorum sensus (papillae ad mammam, clitoridis, penis, turgescentium exemplo) ubique augetur. Succiplena hinc corporis juvenilis constitutio, vasorumque simul ac textûs cellulosi turgor, quo stimulus quicunque perfectius, aut et nimis, sen-

tiatur, omnino contribuit. Major, ac par est, vel in parte quacunque vasorum repletio, ejusdem mox sensum acuit, actionem intendit, vel et obruit, ac delet. „Inflammatione tenso nervo optico', inquit vir celebris, vel ad languidam lucem ingens dolor oritur. Quamdiu nervus opticus inflammatus est, nonnunquam vel ipsa nocte vident homines." Quam dira symptomata ex nervi ischiatici inflammatione oriantur, suo loco monstrabimus; ac certe attentior nervorum, a morte, perlustratio, diversis in *nevralgiis* similia manifestaret. Pro viro toroso, sed narium profluvio cruento hincinde subjecto, aliquando epileptico, nostrum consilium *Ticini* expetitum fuit. Huic, ab porrecto emetico remedio, oesophagus, sine febre aut dolore, adeo constrictus fuit: ut per novem jam dies nec minimam alimenti aut potûs quantitatem admitteret. Solos modo clysteres nutrientes medicus huic aegro injici curaverat; nec tamen aut debilem se esse hic fassus est, aut pulsus pleni et fortes, facies autem rubra et repleta esse, hucusque cessaverant. Cum sanguinem e naribus ultra tempus consuetum haud amplius fluxisse,

ser narraret: duas modo hirudines naribus ejus adponi et, cum cruore hae regurgitassent, earum caudâ resècta, istius fere libram educi curavimus. Mox ab hoc auxilio, spasmus oesophagi violentus, ut potum et ova sorbilia admitteret, cessavit. Altera jam die illa quidem oesophagi constrictio redivit; eodem vero hirudinum subsidio protinus abacta fuit.

Simile fere exemplum, noster in cathedra *Ticinensi* celebris antecessor, de foemina juvene attulit: cui, quoties consueta epistaxis deesset, fortissimae, et per aliquot menses extensae convulsiones accedebant; nonnisi per sanguinis e naribus effluxum sedandae. A spirituosorum abusu, epileptica subinde convulsio producitur. Tetani, ex haustu vini *Burgundici* abundantis exorti, et per sanguinis ad duas libras detractionem sanati exemplum, vir magnus adfert. Frequens certe ex causis debilitantibus apoplexiae origo est; sed plures ex istis, sicut alii, ita et nos, per venae sectiones, ac virium vitalium robur nimium infringendo, perfecte sanavimus.

Adynamica nevrosium origo nostris certe temporibus, quam elapsis, longe magis Adynamica.

abundat: ob majores scilicet, progeniei humanae ausus, ob fortunae plurimorum, sub extensis per orbem terrarum negotiis continua discrimina; vel ipsa ob literarum incrementa; ob luxum, omnes nunc hominum per classes diffusum; ob artes, opificia malesana, saeculis retroactis aut prorsus ignota, aut a paucioribus tractata etc.

Ex humorum jactura.

Inter causas nevrosium communes, maxime spectat *humorum*, qui solidis stimulandis, nutriendis destinati sunt, *jactura*. Vel miles athleticus, vel foemina floridissima juvenis, et laute nutrita, si per vulnus inflictum ille, aut haec, menstruo sub fluxu, sub gestatione, sub partu, cruorem quam plurimum amiserint: illico in morbos nervosos conjici observantur. Nec minus animalia domestica mactata, medio sub sanguinis e vasis praecipitantis effluxu, convelluntur enormiter, et convulsa exspirant. Ex pauco interdum sanguine, vel debilioribus, nunc fine prophylactico, nunc ex erroneo de morbis eorum, vigorem mentientibus, judicio, detracto, hos mirum in modum convulsos fuisse, aut in languores, tremores, hysterismum, aut in tabem incidisse doluimus. Non minora, laticis serosi,

mucosi, lymphatici jactura, quocunque demum loco auffugiant, damna inducit. Hinc excretiones morbosae aut sudoris, salivae, gastrici liquoris, urinae, aut muci, pituitae, lymphae, chyli, lactis, genitalis liquoris, materiae puriformis, purulentae, millenos in marasmum praecipitant. Damna, jacturae humorum utilium similia, impeditam istorum, quotidie amittendorum, restitutionem (per cibi nutrientis inopiam, defectum, per jejunia austera, diutius continuata, per alimenta vegetabilia, animalia, subactu difficilia, flatulenta, glutinosa, pinguia, fibrosa, exsucca fumoque indurata, vel demum suspecta, corrupta, vel rebus alienis inquinata) sequuntur.

Nec minus eorum, quae lege sanitatis aut etiam consuetudinis excerni debuissent, *retentio* huc spectat: ut cujus rationes, atque effectus, in libro „de retentionibus" jam satis exposuimus. Ex retentione.

Nec alia *corporum peregrinorum*, in visceribus, aut in parte vulnerata haerentium, calculi, in renibus, ureteribus, vesica, tam urinali, quam fellea, nati, festucae, fragmenti vitrei, globuli plumbei, osseae particulae, portionis vestimentorum, Corporum peregrinor.

in profundo vulnerum detentorum, sunt phoenomena. Viscerum, alia in loca descendentium (herniae), aut prolapsorum, eadem est ratio.

Ex atmospherae vicissitud.

Quantus sit *atmosphaere*, quae nos circumambit, in systema nervosum influxus: sola jam hominum, diverso sub coelo habitantium, summa diversitas testatur. Etsi enim nullibi exceptioni non sit locus, et aliae sint causae, quae mentem elevare, acuere, queant; cui tamen solis radii minus indulgent: ea imaginationis vigori minus favet tellus; raro certum altitudinis ad gradum elevantur hìc pathemata; ac omnis fere praescinditur eidem hilaritas, alacritas. Vel eodem sub coelo, planitiei incolae, ad illos, qui montes inhabitant, tam animo, quam corpore, placidum ut flumen, ad rapidum torrentem se habent. Frigidae regiones, ratione actionis nervorum, hiemis cum aestate rationem, si calidis conferantur, observant. Quare et magno sub gelu, et tempestate frigida humidaque, insignis ubique nevrosium proventus est, quae, sole redeunte, ut imber istius sub radiis, dissipantur. Frequentissima, sub summo frigore, et quasi momentanea, gangraena est. Sub

aestivis caloribus, maxime vero humidis, languor universalis, ac sub venti meridionalis afflatu, nervorum quasi omnium resolutio observatur. Sub fervida aestate, mulieres, antehac nec minimum conquestae, in hysterismum inciderunt. Tali atmosphaerae sub statu, *Vindobonae*, anno 1808, copiosiora, quam unquam, suicidia, et numerum maniacorum, nosocomio majore susceptorum, prorsus insolitum observavimus. Pars manicorum major, sub magnis aestatis fervoribus, intensius furiunt. Coelo vel maxime sereno, tempestatem turbulentam instantem tonitruque futurum, non pauci homines, ex singulari anxietate, ex cordis palpitatione, ac instantis lipothymiae sensatione, quin facile fallantur, adnunciant. In genere, subitaneus ex una tempestate ad contrariam transitus, vix unum, nervo delicato instructum, intactum relinquit. Quidquod antequam talia succedant, vulnus, jam diu consolidatum, fractura ossis, ante annos jam coalita, dolore, ac instantes mutationes praedicere soleant.

Hinc *odores* quoque varii, per atmosphaeram diffusi, ut causa nevrosium apud multos, revocandi sunt. Saepe quidem se- Ex odoribus.

xus foemineus, nervorum singulari mobilitate vix non superbiens, fucum aliis facit, sibi ipsi tandem funestum; vidimusque *Ticini* nobilissimam vetulam, quae, dum, nostra in praesentia, a longe adventantem per plura cubilia amicam conspexisset floribus ad pectus ornatam: hanc, ne propius accederet, alta voce exclamans, rogavit. Accessit tamen subridens amica, scilicet *artefacto* modo florum fasciculo, odoris protinus experte, sinu condecorata; sola nihilominus istius suppositio, matronam hystericam, ad lipothymiam usque perduxit. Sunt interim multis infesti odores nunc isti, nunc illi; nec desunt sexus utriusque homines, qui, a *felis*, vel minime conspecti, odore, mox animo linguantur. Sic feras, canis venatorius, non visas, feraeque canem, — sic equam, sub oestro venereo, longinqua et ignota per pascua anhelantem, equus, favente nimirum aurae, exhalationibus animalium istorum impraegnatae, directione, ad magnas saepe distantias, praesentiunt, insequuntur, aut fugiunt. Sic, absque data alia occasione, de amicis saepe loquimur, qui, dum vel minime exspectantur, fores mox

pulsant: prius nempe narium, quam oculorum beneficio percepti. Regimur hinc non parum ab ignotis adeo rerum *effluviis*, emanationibus; et magna tum fiduciae, amicitiae, amoris, tum diffidentiae, aversionis, aut odii inter homines ratio, saepe non ultra, quam mutuo transpirant, progreditur. Quanta sit *volatilium* principiorum per nares, universum in corpus actio; vel ex summma illorum in aegris refocillandis, vel ex syncope, asphyxia revocandis potentia jam satis elucet.

Exercitia corporis, robur ejusdem augere, vel ex sola differentia, quae ruricolas inter ac urbium majorum cives otiosos intercedit, comparet. Ipsum, quod prae alio movetur constantius, brachium, illo torosius est et fortius: vix transpiratio blanda in exercitato laboribus homine, dato sub opere movetur; cum alter, minus huic adsuetus, copiose jam sudat, ac fere suffocatur. Vita deses, et otiosa hinc magna ad nevroses occasio est, et qui eidem nimis indulgent, literati homines, aut sexus sequior; ad hypochondriasin, hysterismum chlorosinque damnantur. Ex otio, exercitio nimio,

Apud alios *pinguedo nimia* effectus est

otii, et illius ad obtundendam, nervorum sensibilitatem non minus, quam ad cerebrum cruore obruendum, influxum, jam satis indicavimus.

Quam tristes *laboris nimii*, imprimis in teneram aetatem, effectus sint, tam in *Politiae medicae* opere, quo loco de educatione physica locuti sumus, quam in „Oratione academica; de populorum miseria, morborum genetrice", A. 1790 *Ticini* recitata, nostroque „delectui opusculorum medicorum", T. IX. inserta, candide exposuimus. Quo tempore exercitus, temporis intervallo castra saepius mutare, ac ad majores distantias deferre cogitur, exhausti milites, medias inter phalanges copiose concidunt, ac vitam haud raro apoplectici, aut continua sub syncope, claudunt. Cursores publici, privati, eandem saepe sortem experti fuerunt. Carnes cervorum, venando per horas celerrimam ad fugam coactorum, sanguine undique suffusae, promtius ac aliae corrumpuntur atque putrescunt. Continuata nempe per longum tempus exercitia vehementiora, adipem, fibris muscularibus intermedium omnem consumunt; cruorem, sub febris quasi acutae

specie, per vasa urgent, saepius inter musculos contractos retinent, nutritionis opus interrumpunt, vasorum systemati vim inferunt, respirationis functionem, sub nixu continuo, thoracem figendo, intercipiunt, et sanguinis e capite refluxum praescindunt. Viros bajulos fortissimos *Ticini* conspeximus duos sub magno pondere humeris sibi imposito, quasi apoplecticos concidisse, et in extremitatum inferiorum paralysin collapsos fuisse. Sub nixu diuturno ad alvum excernendam, sub partus difficilioris opere, apoplexia hincinde secuta est.

Vigiliae diutius protractae, eosdem fere, quam nimia exercitia effectus in cerebrum ac nervos producunt. In *Gallia* quondam per solam a somno privationem, hominibus per jocum violentum inductam, in maniam hos ipsos conjecerunt; et notum est, crudeles antiquorum aevorum homines et hoc ultimum inimicorum suorum supplicium invenisse: ut palpebras ipsis excinderent somnumque omnem arcerent. In urbibus majoribus vigiliae, in solis ortum protractae, magnam nevrosium partem sibi vindicant: majorem certe habiturae, nisi dies in noctes convertendo, illos in lectulis otiosi transigerent. Ex vigiliis nimiis.

Ex nimiis studiis.

Nec minores *studii* nimis intensi noxae sunt. Sub hoc enim, imprimis ad lampadem protracto, caput nobis calere, grave fieri, aut quasi tendi, ac tandem dolere, observamus. Hos mentis labores immoderatos, somnus reficere negat; sed continuo lucubrationis diurnae objecta sese menti praesentant, et insomnia, vigiliis pejora producunt. Quare magnum hominum, studiis nimis intensis ac diuturnis deditorum, numerum in maniam conjectum fuisse novimus; ac saepius, dum pueros scientiis obruere, et ex illis, hac tenera aetate, philosophos efficere contendimus: contrarium prorsus eventum obtinemus, ac ad ipsam stupiditatem, hebetudinem, eosdem perducimus.

Ex animi perturbationibus.

Maximam vero morbis nervosis occasionem porrigunt *curae animi* rodentes, tristitia, moeror summus, amor infelix, ambitio, superbia, denegata in aetate matura venus, zelotypia, invidia, patriae desiderium immoderatum, gaudium summum, ira effrenis. Nosodochia, maniacis curandis destinata perlustretis! et partem istorum vel maximam, ex animi commotionibus, hunc miserrimum in statum conjectam fuisse au-

dietis: ut non male scriptor gravis asserue-rit: *viros*, plerumque vel ex iracundia, vel ex superbia, vel ex gravi fortunae jactura, — foeminas autem, vel ex amore, vel ex zelotypia, vel ex male intellecta religione, in maniam incidere. Sub tantis vitae aerumnis, maximo sane solatio homini religio est, veraque pietas. Hoc sacro nempe fulcro innixi, ac spe vitae melioris firmati, fortunam adversam atque iniquorum insidias aequo ferre animo addiscimus, et mentem, mediis sub fluctibus, serenam conservamus. Quodsi tamen morbosa conscientiae sensibilitas, a confessoribus, concionatoribus, indiscriminatim et ruditer nimis tractetur, ac debilitatis humanae, aut criminis forsitan perpetrati, ultra quam par est, ac ipsa jubet religio, angatur: non rarum est, desperare hominem, et in *maniam* rapi, difficulter sanandam (*religiosam* dixerunt nosologi). Ipsae adeo praeconceptae vulgi, de rebus naturalibus opiniones, non exiguam nevrosibus occasionem, ob imaginationis ludibria, terrores inutiles, falsas de causis morborum interpretationes ac neglecta opportuna illis remedia, largiuntur.

Exposita a nobis alibi, de morbis, ut vocant, daemoniacis, de praestigiis sagisque historia, haec ultro confirmat. Confirmat non minus, insulsae de magnetismo animali hypothesis, infelici prorsus sub omine in medicinam introductio: qua nempe sexus maxime sequior, jam sua natura, prae illo virorum, in nevroses pronior, tam facile in varia mentis insomnia, in vaticinationum ineptias, in somnambulismum, ac demum in alia animi ludibria, conjicitur. Vel ab unius, qui, altaris ad limina, *oscitat*, adspectu, mox omnis ora largiter adperit, chorus orantium; et ex solo hominis, epileptice convulsi, intuitu, qui ad nevroses dispositus est, facile is ipse convellitur. A terrore, maxime infantum, puerorum, toties convulsio, epilepsia, chorea S. Viti, et alia.

Libri de medicina populari.

Vel ipsi *de medicina populari* libri, idiomate patrio conscripti, praeter immensa, ex male interpretatis a vulgo scientiae difficilis principiis, damna, et illud, certe non minimum, adferunt: quod similium lectione librorum, hominum, vel parum ad hypochondriasin inclinantium, evolvatur quamplurimum infelix dispositio, ac

in omne genus errorum, sanitati vel maxime adversorum, augeatur proclivitas.

Irritatio quaecunque mechanica, chemica, venenosa, electrica huc spectat. Quae vero dolorem acerbiorem excitant: facile haec systema in consensum trahunt. Sub tormentorum, insani ad veritatem eruendam auxilii, administratione, saepe risus sardonius, convulsio, somnus lethargicus, apoplexia successerunt. A calculis felleis, urinalibus, convulsio, dolores colici, vomitus. Similes effectus dentitio difficilis, odontalgia, otalgia, hemicrania, arthritis fixa, producunt. A ligatura collo verrucae adplicita, convulsio, vix non epileptica, secuta est. Ex simplici contusione ad ventriculi regionem, non pauci animam efflarunt. A luxatione, fractura, carie, a vulnere partis magis sensibilis, vermium reptatu, suctione, saepenumero convulsio. Vel sola diuturna titillatio, hoc symptoma, vel et mortem ipsam, produxit. Animalia minora, per ictum electricum fortiorem, sic ut homo ipso a fulmine, occiduntur, nulla fere reliqua irritabilitate in fibra animali. A galvanismo, comitis *Vindobonensis* uxorem, surditate laboran- Ex dolore.

tem, semper vomitum, cephalaeam, ac tandem pneumonorrhagiam passam fuisse, observavimus. Ex mercurio sublimato corrosivo, ex arsenico, viridi aeris, a plumbo, a fungis, cicuta virosa; a viperae morsu, ab usu cantharidum interno etc., innumera, praecipue nervorum mala proficiscuntur.

Debilitas autem, vel universalis, vel partialis, a quacunque demum causa procedat, jam sola ad nevroses disponit. Nulla nempe classis hominum his morbis adeo subjecta est, quam infantes graciliores, quam sexus urbium foemineus, quam viri literati, aut opifices vitae sedentariae dediti.

A morbis cutaneis.

Ab humorum acrimonia, pathologia quondam morbos nervorum non paucos derivavit. Theoria haec veterum, ex eo, quod vel a sola solidorum actione morbosa, humor, a sanis alienus, quin sanguis istius culpam tulerit, secernatur, haud injuste eviluit. Quod interim liquidum, hac lege ad partes *externas* secretum, easdem, minore totius injuria, inundat; hoc, ubi huic secretioni obstaculum ponitur; excitatâ, eandem per causam, secretione

ad partes *internas* simili (quin igitur ullâ, ad hujus explicationem phoenomeni, *metastasi* aut *depositione* opus sit) has ipsas facilius devastat. Atque hac ratione et herpes, et tinea capitis, et crusta lactea, et ulcera antiqua, et fonticuli, cum quibus consuetudinem jam diu contraximus, aut male tractata, aut citius sanata; non infrequentem nevrosium occasionem largiuntur.

§. 945. Nevrosium, prout vel organico aut locali ex vitio procedunt; vel universi systematis e culpa oriuntur, atque hoc ultimo in casu vel hypersthenicam, vel asthenicam pro causa agnoscunt; — prout pars nobilior, cerebrum, cerebellum, medulla spinalis, nervus, parti ad vitam necessariae concessus, aut modo ramus minoris dignitatis, laeditur, adficitur; — prout causa mali facilius, difficilius abigitur; ac pro ipsa demum hominis aetate, diversa est prognosis. Quo diutius vero causae, qualiscunque ex istis, effectus nervosus duravit, et quo magis periodica, habitualis istius est indoles: eo quoque pertinacius hic idem resistit aut, forsitan per artem dispulsus, facilius *revertitur;* aut morbum alium, se ipso pejorem, relin- Prognosis.

quit. Quae per *haereditatem* adquisita, aut *congenita* fuerunt mala nervosa: ea quamvis haud in prima aetate se prodant; certe rarius praeveniri, — si vero jam eruperint; vix unquam auferri queunt. Qui *pubertatis* ante epocham, ex causis, a dictis diversis, nascuntur: ea post illam sat saepe vel sponte evanescunt; quodsi vero longius persistant; rarius tolluntur; aut taediosae curationis adfectus sunt. Sed mira in eo cohortis nervosae est indoles: quod haec ad illam spectans aegritudo, quamvis fortissimis symptomatis stipata, periculis tamen fere scateat; cum alia, primo saltem sub ingressu, neminem, nisi satis expertum, perterreat; brevi tamen absoluto curriculo plerumque ad tumulum perducat. Hysterismus, hypochondriasis primi ordinis, — tetanus vero, secundi; exempla sistunt. Certam quasi ab aliis morbis, maxime epidemicis, immunitatem aegris dedisse morbos nervosos, haud raro conspectum fuit; interim hincinde vehemente ac diuturna ex nevrosi, alia tandem mala proficiscuntur. Ossium luxationem, fracturam, ex illa venisse constat. Vasa, etiam majora, convulsionum sub impetu

dirupta, apoplexias, aut saltem graves haemorrhagias, suggillationes abhinc profectas, hernias, prolapsus, seminis jacturam, producta fuisse, docuit experientia. Maximum nempe nervorum dominium in musculos est; ac horum violenta simul ac diuturna in partes singulas actio, miros saepe effectus pedissequos habet. Oculos intortos ac luscos saepe in illis, qui prima in infantia frequentius convulsi fuerunt, observavimus. Gangraenae, in parte diutius ac violenter convulsa, exemplum habetur. Non infrequens, ex nevrosi perlonga, tabes est, quam igitur *nervosam* scholae vocarunt. Saepius membrum hoc vel illud, ex continuato in longum dolore, vel spasmo, quibus omnis fere illius nutritio intercipitur, contabescit. Partum à praegnantis mulieris convulsionibus intercipi, — placentam, contracto in utero, diu et sub vitae ex haemorrhagia, periculo detineri, propria et nobis experientia nimis confirmat. Animum ipsum per morbos nervosos non parum perverti, toties in foeminis vidimus quae, ante eosdem, mitissimae indolis, non modo amicis, sed sibi ipsis tandem graves, acerbae, iracundae redditae fue-

runt. Imbecillitatis aut fatuitatis, memoriae deletae, paralysis, post morbos diversos nervosos, innumera exempla occurrunt. Impetigo ad cutem comparens, hincinde morbos nervosos solvit: maxime si causae partem, quondam dispulsa, habuerit illa.

Cura. §. 946. Generalia hic curandarum nevrosium praecepta expositiuri, sub tanta causarum, quae actioni nervorum praesunt, *proximarum* caligine, ut illa ex *remotis*, ut vocant (§. 944.) eruamus, inducimur.

Primum igitur sanandae nevrosis momentum in eo positum est: ut, num *primaria*, num vero *secundaria* ratione systema nervosum aegrotet, videamus; et hoc ultimo in casu, morbum, cujus modo comites turbae nervosae constituunt, propria sibi methodo dirigamus.

Alterum pertractandae nevrosis praeceptum in eo consistit: ut, priusquam insigne ac difficile hoc opus adgrediamur; eruamus, num *organico*, *locali*, — num vero *universali* ex vitio nervi aegrotent? ac ubi prima aut altera ex dictis conditio subsit; hanc debitis auxiliis tollamus.

Quodsi igitur *universi systematis ner-*

vosi culpa morbus prodierit; tertium curationis momentum erit: ut, rariore certe in casu, quo *virium superabundantia* eundem induxerit; has vires, illius, quod nimium est, cauta subtractione, ad justum aequilibrium perducamus. Quodsi vero *asthenica* magis nevroseos sit indoles; num haec ipsa ex *nimio*, num vero ex *aequo minore* stimulo suborta sit, videndum est. In primo quidem casu, quaerendum est: ut omnem virium collapsum, majore excitantis auxilii gradu, donec minore praestari hoc queat, avertamus. Altera sub rerum conditione, blandis primùm stimulis, sed sensim sensimque potentioribus, agendum est.

An sola modo nervorum compages subversa sit; an vero alterius quoque systematis, aut partis aegritudo nevrosin comitetur? non minus inquirendum est. Cum autem, ut jam monuimus, nullo magis, quam *nervoso* cum morbo, corpus *consuetudinem* contrahere, — eâdem vero contracta, illius quasi necessitas subintrare observetur; primò quidem, ne hanc legem aegro imponat, celeri auxilio curandum, — sub *habitualis* vero jam mali conditione, tum

lentius, tum etiam diutius hoc admovendum est.

Quaecunque vero in morbis nervosis, maxime asthenicis, *interna* remedia subministrentur; ne morbosae in ventriculo sensibilitatis apud plurimos, atque nimiae exinde fortioris stimuli hoc in viscus, — et ex eo in singula, impressionis obleviscamur, necesse est. Eadem cautio et ad alias corporis partes, forsitan prae aliis excitabiles, sub stimuli adplicatione convertenda est.

Regimen. Maxime vero, tum in *prophylaxi*, tum in *cura* nevrosium chronicarum, ex universi systematis adfectione pendentium, retinendum est: diaetetica, sensu largiore sumta, auxilia (si forsitan majores morbi *accessiones*, quae celeriore manu mitigandae sunt, demamus) rem fere principalem, et causis morbi communioribus magis adaptatam, constituere. Hinc sub recto, et in longum protracto alimenti, potus, excretionum, vigiliae, somni, exercitii, quietis, atmosphaerae, maxime autem animi pathematum, *regimine*, dummodo observandi istius non desit constantia, potissimus rerum cardo vertitur. Nostri qui-

dem non est, hìc in ea, quae *therapia generalis* circa haec objecta vos jam docuit, quibus sub speciali cujusvis nevrosis considerationе tangendis opportunior locus erit, et quae ad lectos aegrorum sollicite a nobis adimpleri vidistis, descendere; monebimus tamen ex istis aliqua.

Peregrinatio.

Ac primò quidem, nullum in plerisque nevrosibus chronicis leniendis, persanandis, *peregrinatione* potentius est subsidium. Hoc etenim, sub frequente atque conspicua atmosphaerae mutatione, et corporis utilissima exercitatio obtinetur, et diversissimorum objectorum adspectu, animus, vel nolens, ab omni curarum genere, vi grata, abstrahitur, demulcetur et, quod non parum ad corporis integritatem confert, mens ipsa sine magna contentione exercetur, eruditur. Magna hinc peregrinationum, religionis causa quondam in terras dissitas, ad oracula, ad loca sancta susceptorum, ad salutem recuperandam, firmandam, fuit praestantia; et quantacunque sit fontium mineralium, thermarum, virtus et salubritas; hanc tamen haud raro longe superat itineris sine molestia absoluti simulque amoeni, relaxati animi, libertatis,

amici consortii atque hilaritatis, illis in locis regnantium, beneficia. Hinc vel sola coeli mutatio frequenter febri intermittenti, ad omnia rebelli, finem posuit, morbos convulsivos ipsamque epilepsiam radicitus exstirpavit, tabi nervosae medicinam tulit, ac ipsi animo depresso, abjecto, perturbato, pristinum robur ac serenitatem jam diu amissam, conciliavit. Tanti vero ponderis effectus, non solis atmosphaerae mutationibus, etsi eae magni momenti sint, sed rerum plurimarum, partim ignotarum, concursui innituntur. Saepe (ut nobis, medicinam, diverso non parum sub coelo exercentibus, exempla non pauca occurrerunt) dulcis et amoenae regionis incola, morbo nervoso languens, septentrionali tandem sub coelo, amissam diu valetudinem recuperet; quam, eodem a morbo fractus, aquilonaris plagae habitator, meridiano sub sydere attingit. Dum pectus unum, ab asthmate spasmodico constrictum, ad alpium cacumina dilatatur; alterum, in planitie solvitur, aut in vallibus. Aliis, atmosphaerae, palludum ab effluviis inquinata,— aliis, serena, et oxygene dives confert: ut igitur vel solo *positionis*, sub hoc coelo,

vel sub illo, mutatio, nervosum systema pacare, et motus ejus abnormes componere valeat. *Epidemice* nonnunquam, ut diximus, vel jure *endemico*, in hanc, vel illam provinciam dominantur nevroses, quin interim cognita atmosphaerae et loci constitutio, nodum solvat.

Navigationis effectus, variis in morbis praecipue nervosis, salutares, satis jam noti sunt. Nihil scilicet, sub tali exercitio, de suis viribus, corpus aegrum impendit, amittit; atmosphaerae, sine sensu ingrato, mutatio frequens, et amoena ventillatio sub illo obtinetur; multiplicia ante oculos objecta versantur et commutantur ab aliis, quae mentem et grate adficiant, et simul distrahant. Atque haec de brevi ac satis repetita super *flumine* aut lacu suscepta navigatione valent. Illa vero, quae *Oceano* instituitur, majores et contrarios saepe effectus producit. Purior nempe plerumque atmosphaera maritima est, motusque undarum longe potentior. Non plaga hic lente cum plaga, sed, excluso terrarum et aspectu, et influxu, cursu celeri, nec interposito, coelum cum coelo commutatur. Altera ex parte, haec ipsa navigationis Navigatio.

maritimae beneficia, vires aegrorum, necdum nimis detersas, animum ad varia rerum discrimina satis paratum, contractam jam antehac cum motu undarum, cum navali regimine consuetudinem praesupponunt. Multis nempe, tum ab odore navium specifico, tum praecipue undarum a motu, tam nausea perpetua, quam atrox ille, ac saepe vel toto sub itinere maritimo, ad sanguinem usque, continuandus vomitus, et singularis prorsus anxietas, molestias, sub tempestatis vicissitudinibus insigniter augendas creant. Aliis, ex adverso, vel ipsa illa nausea et vomitus, quae novos atque a pristinis diversos in systemate nervorum motus conciliant, emolumento sunt.

Gestatio, Vectio. Post navigationem, *gestatio*, debilioribus magis conducit, vel a bajulis, vel, majores ad distantias, a mulis, lectica, inter hos suspensa, peragenda. Gestationem sequitur *vectio* in carpento, vel rheda, quae, ubi corpore erecto trahimur, actionem musculorum, qui truncum sustentant, debilioribus vix congruam sibi exigit. Qua vero ratione pilento, plus minus suspenso vehimur, quae super stratis

aequalibus levibusque, vel potius saxosis et asperis ducimur; qua lentius, aut celerius rotae circumvolvuntur: eo minor aut major corporis viscerumque succussio est.

Rheda vehi aegros satis adperta, ne atmosphaera stagnans, oxygene exhausta, corrumpatur, quin tamen aëris ingrati perflationi exponantur, interest. Nec jejunis aegris, nec cibo liberaliter refectis, currus convenit.

Rex *Galliae,* humano generi adhuc carus, quod *unico* modo *curru* instructus esset, die, qua hoc utebatur regina, ad amicum vehi nequivit. Civium ordines tunc omnes, sexus uterque, nisi pedibus usi, certe non curru, sed *equo* insidentes, corporis exercitium colebant. Aliter nunc longe res constitutae sunt: cum coetus urbium potiores, pedum exercitium vix non omne, ut plebejum nimis, despectu habeant; et sellis equorum fere penitus renuntiantes, nonnisi curruum, et dispendioso magis, et minus salubri, vehiculo utantur. *Equitationis* scilicet beneficium in eo potissimum consistit; quod in aura liberiore, et plurium musculorum salutari exercitio, absolvi illam oporteat; quod animum equitantis Equitatio.

sibi exigat attentum, eumque magis a curis domesticis distrahat; quod demum viscera abdominis hinc illinc commovendo, sanguinis per illa cursum non parum facilitet.

Innumeri quondam aegri, variis nervorum morbis adfecti, ex longinquis regionibus, *Lugdunum Batavorum* confugiebant: quò illinc magni, et laboribus obruti viri oraculum medicum, fiducia pleni, invocarent. Jussit ille, quotidianis equitationibus animum defessum recreare solitus, ut clientes, eodem corporis exercitio fruituri, se ipsum sequerentur, et consilia opportuna hac occasione exciperent. Pauco tamen sermone de istis, post mensis unius alteriusve decursum, interjecto, quaerebant hi: quid tandem, salutis causa, sibi, ad patriam mox reversuris, faciendum esset?... „Quod mecum hucusque fecistis, et quod vobis adeo jam conduxit," respondebat oraculum.

Fricatio, balnea.

Sunt autem, qui gravi aut jam provecta nevrosi detenti, vel ob res domesticas, vel ob jam nimiam virium jacturam, nec peregrinandi ac thermas adeundi, nec vectionis, aut equitationis beneficio fruendi, facultate instructi sint. Hoc vero in casu, aut universi trunci, aut partis debilioris,

aut illius vel maxime, quae nervos in eandem providet, *fricatio*, et *balnea medica*, in supplementum illorum ducenda sunt. Hinc celebris jam *Romanorum*, de medicina scriptor: „Fricatio, inquit, *omnibus vertebris* hominum utilis fit." Fricatio nunc lenius, nunc fortius instituitur, atque nunc *sicca*, palmâ manus, linteo, pannis laneis, aut simplicibus, aut fumo aromatico imbutis, vel et scopulis setosis instituenda, nunc vero *humida*, oleo, linimentis, unguentis, rebus spirituosis peragenda est. Non parum quoque diversus, fricationis, pro varia ejus directione, effectus obtinetur. Plurimum fricationibus, a calore simul adjuncto, vel ab electri virtute substituta, efficaciae superadditur. Summa vero, et longe major, quam vulgus credat, hujus in totum systema influxus est. Dubiam animalium brutorum benevolentiam, cutem illis blande perfricando, captamus. Tenerae proli frontem palma molli ac tepida terendo, somnum nutrix inducit. Adulti etiam homines, quibus pars capillata calvariae levi digito perfricatur, facilius obdormiunt. Populi *Chinenses*, cylindrum exiguum celeri manu sibi in auris meatu externo rotan-

do, plenam voluptate sensationem producere referuntur. Similem fere huic, partis, summopere forsitan prurientis, *scalptus* largitur. Levissimus labii superioris, plumulae ope, attactus, corpus integrum concutit, ac tantus *titillationis*, in quibusdam praecipue hominibus; effectus est: ut vel adproximante hunc ad finem a digito contremiscant. Nobilissimam matronam *Mediolanensem* vehemente asthmate spasmodico, ter quavis in die, adfectam, sub ipsis accessionibus, ut alibi jam retulimus, ope fasciarum, super cubitis et genubus adplicitarum, frequenter quamplurimum sublevavimus, atque hunc ligaturae effectum, cruoris ad pulmones retardato regressui attribuimus. Paulò post interim comparuit: a leviore *surarum* perfricatione non minus, ac a fasciis praedictis, asthmatis insultum infringi; quo non inanis dubitatio nobis exorta est: forsitan fasciarum illum effectum, magis stimulo, quem in cutem exserunt, quam illarum in sanguinis cursum actioni, adscribendum fuisse.

Balnea. *Balneorum tepidorum*, aut simplicium, aut calami aromatici, aut similis naturae herbarum, infusione commistorum, insig-

nis in multis nevrosibus virtus est. Efficaciam aquarum augent, in *thermis*, ex regno minerali soluta principia multifaria, inter se commista. Sunt tamen, quae nos inducant ut credamus: per analyses, quas de aquis thermalibus permultis chemia hanc usque in diem instituit, effectus illarum, saepe prorsus mirabiles, haud satis et ad plenam animi attenti convictionem explicari; sed plura superesse, quae artis eximiae indagines constanter auffugerint. In chronica nervorum debilitate, frequentior ac brevis modo *corporis in frigidam immersio*, aut vertebralis columnae, frigidae ope, lavatio, ac ipsa denique *balnea maritima*, egregie conducunt.

Electricitatis, *Galvanismi*, cum primùm eorum, in corpus humanum, observarentur phoenomena, effectus quidem longe feliciores, quam hucusque revera praestiterint, in morbis nervosis adynamicis exspectavimus; ast vero, vel ipsa, quae frequente quondam nimis, eorum ex abusu secuta sunt, infortunia, quantum coelestibus istis effluviis, nervorum in systema, imperium sit, ostendunt; et quae tam alii, quam nos ipsi, ab illis, prudenter di- **Electricitas, Galvanismus.**

rectis, observavimus, hcc satis confirmant. Vel ipse *fulminis* ictus, tam saepe hominibus lethalis, paralyses eorum hincinde, vel uno horae minuto secundo, fugavit.

Inunctio corporis.

Maris agitati procellas, ad longam extensionem, superadfuso ab *oleo* componi, *Americae* vir magnus, sed certe haud primus, nos docuit. An similis forsitan olei, nervorum sub turbis, cutis sat amplae superficiei illiti, effectus est? Ipsa saltem natura, smegma copiosum, quo nervorum morbosam sensibilitatem praescinderet, obtunderet, cuti adfusit, illique, hac custodia, atmosphaerae actione, orbati, nudi nimis, cutaneos ad morbos non parum contribuunt. Major longe ungentorum, vel solius etiam olei, exterius adhibitorum, in cutis morbis dispellendis (vel salutaris ea sit, vel noxia) potestas est, quam ut hanc, ex cognita, nec specifica, in nervos, corporum pinguiorum actione eruere valeamus. Augetur vero frictionis opere, tum spirituosorum, tum oleorum, et quae illis misceri merentur, remediorum volatilium, aromaticorum, nervisque amicorum, virtus: quae certe digna est, non ad solas modo locales adfectiones, sed in multis

adeo nevrosibus generalibus, sine omni transpirationis per pinguia cohibendae formidine, adhiberi.

Ipsius etiam aquae, vel solius, vel principiis salinis, spirituosis commistae, ex alto cadentis, et in partem corporis magis adfectam, nunc roris, nunc pluviae, nunc densioris undae sub forma, directae, actio, fricationis potentis speciem constituit: cujus in morbis localibus, efficacia in thermis publicis longo usu comprobata fuit.

Nec minor, sub corporis lassitudine, inertia, *contrectationum* variarum, — quibus scilicet supino in homine, secundum ejus longitudinem, blanda calidaque palma, omnes in sensus moventur, comprimuntur, tenduntur, — est auctoritas. Qui nimirum *pandiculationis* a somno, tam in homine, quam in diversis animalibus, nec avibus exceptis, rationes physiologicas perpenderit, simulque illarum, in musculorum vigore, agilitate excitandis efficaciam intellexerit; — qui tum in febrium multarum initiis, tum variis in morbis nervosis, hysterismo imprimis, simile, sed morborum nunc, phoenomenon attento saepius animo persecutus erit: cessabit ille Contrectationes.

mirari, in omni *oriente contractionis* hanc methodum, ab antiquis, ut videtur, petitam, frequenter et magno emolumento, in balneis publicis, ab exercitatis ad haec manibus, administrari.

Regimen mentis.

Cum *perturbationum animi* vehementium, in producendis nevrosibus potentiam jam satis exposuerimus; clarum est, in *mentis regimine* magnam et praeservationis, et curae istarum partem consistere. Nostrae aetatis, in prolibus educandis, non tam pridem commune fuit vitium: ut omnis et parentum, et institutorum labor, in puerilis animi sensibilitate polienda, acuenda, poneretur. Laudabilis sane hujus curae finis fuit, et factum est inde, ut et virgo tenera, et conjux, vel exigui insecti ad contorsiones, non modo ipsae contremerent, ruerentque in lacrymas; sed et animo mox linguerent, et ut miseriis alienis, corda, in subsidium nunc promtiora, magis utique paterent. Sed per ipsam hanc portam, amplo nimis hiatu adpertam, intraverunt simul mentis vitia multiplicia: odium, iracundia, zelotypia, tristitia, vel a minimis occasionibus in flammas, nullo conatu compescendas, pro

ruptura. Interea et sollicita magis, quam inter avas matresque cultura animi, sexum sequiorem, vel parum a vulgo distinctum induxit, ut literis, praecipue tamen amoenis, se omnem foveret, ac fabularum romanensium lectioni diu noctuve consecraret. Amoris inde aut praematuri, aut luxuriantis, aut multivagi incendia, — infelicis autem, vel contempti, neglecti, profundior, intolerabilior sensatio, desperatio, venerunt et adhucdum propullulant. Ipsum scientiarum incrementum, et eorum, qui his excolendis ultro se tradunt, numerus, nostro aevo mirum quantum adauctus, corpora per otium infracta, animosque irrequietos, facilique negotio ultra limites ferendos reddiderunt, nevrosium vero omni generi viam amplissimam straverunt.

In sollicita igitur prolium educatione, tum physica, tum morali, firmissimus contra nevroses murus erigitur; atque hoc tutamine munitae, humanam illae sortem quae nusquam tam felix est, animo, nisi aequali, inconcusso tamen ferre addiscent. Vix interim consilia medicorum super istis, et quae motus animi violentos

concernunt, maturius, quam laxatis jam malo habenis, implorantur; et quae hoc in casu ab arte, pendent: ea maxime circa causarum occasionalium, quae animum, ad talia jam praedispositum, profundius praecipitare minantur, eliminationem, — aliquando vero circa mentis, ad motus contrarios directionem versantur.

Atque haec fere sunt, quae causas nevrosum remotas, vel in totum fugandas, vel saltem frangendas, imminuendas respiciunt. Nunc *therapeutica* magis auxilia, his morbis sanandis laudata, generatim exponemus.

Auxilia therapeutica.

Haec autem indoli morbi, vel *primarii*, vel *secundarii*, — utriusque vero aut *universalis* aut *localis*, adaptari oportet. De nevrosi vero *idiopathica* maxime hic sermo instituendus; — de alia, alio in loco iste quaerendus erit. Cum praeterea morbos nervosos, pro ratione, qua menti humanae rarum abditarum origines prosequi concessum est, nunc ex *virium vitalium*, quidquid eae sint, *superabundantia* (et rarius quidem), — nunc ex conspicuo illarum *defectu* oriri monuerimus; pri-

mam nunc illis, postremam vero istis considerationem adhibebimus.

In nevrosi igitur hypersthenica, quidem adeo debilitans, ac in ipsis inflammationibus, sed mitior omnino methodus, quae moderata viribus froena ponat, adhibenda est. Hinc, praeter victum tenuem, potum aquosum, subacidum, alvi blandam subductionem, summam vero et corporis, et animi quietem, maxime ubi fluxus sanguineus, sexui sequiori impositus, vel ubi haemorrhois, epistaxis adsuetae, per stimulum aequo fortiorem suppressae, nevrosin induxerint; raro quidem magna venae sectio, frequentius vero hirudines, scarificatio in auxilium trahendae sunt. Seri lactis usus, a viro celebri tam intense laudatus, etsi ex antiqua hypothesi, „acredinem humorum; ut morbi causam, correxisse" referatur; in hoc imprimis nevrosium genere, alvum blande laxando parumque satis nutriendo, aliquando fructum habebit. Debilioribus certe hocce remedium, ob flatus, borborygmos, diarrhoeam, abhinc plerumque inducta, nocuisse observavimus. Atmosphaera subfrigida, et septentrionalis adeo coeli, cum meridionali

Cura nevrosis hypersthenicae.

commutatio, hac rerum sub conditione confert.

C. n. adynamicae.

Atque haec pauca, in morbo, rarius obvio, auxilia sufficiant! Longa magis ardua res est nevrosis *adynamicae*, maxime vero illius, quae potentioribus ac vires exhaurientibus a stimulis proficiscitur, sanatio est.

Periodorum ratio.

In utraque vero hac morbi specie, frequentius *periodicae* mali *exacerbationes* occurrunt, quae suo sub decursu, singularem medicorum curam ideo sibi vindicant: quod, quaecunque demum sit, continuata per omnem morbum aegrorum sensibilitas, longe tamen major haec, periodico mali sub augmento esse soleat. Quare saepenumero remedia, quae pridem opportuna fuerunt: accedente, vel jam ingressa sub *periodo* (mutata nempe tunc stimuli admoti ad sensibilitatem magis abnormem; proportione) aegrotantibus obsunt. Hae vero exacerbationis periodi, nunc satis illis conspirant, quae sano quondam corpore, v. g. fluxus menstrui sub ingressu, — vel morboso alio sub statu, e. c. haemorrhoidum sub recursu, contingere solebant, nunc alium longe, etsi non minus constantem, typum sibi eligunt.

Quemadmodum autem in nevrosi adynamica, vix alia, quam quae fatiscentes corporis vires erigant, remedia indicantur: ita haec quidem sub ipsa adeo accessione, sed *stimulo magis volatili*, promtius et agente, et agere cessante, hinc parvis temporis intervallis saepius repetendo, instructa, non alia, conducunt; ac remittentibus, aut cessantibus adeo jam perturbationibus periodicis, donec singula istarum vestigia disparuerint, continuanda sunt.

Tantum aliquando gradum sensibilitas, irritabilitas, in his morbis attingunt: ut quae vel sanos stimulare vix videntur: ea majores in illis procellas mox provocent. Parca principii calorici, aurae frigidae, aquae gelidae, nivi, glaciei, quantitas inest; atqui, cum fortiora nocerent: tam paucum illud saepe sufficit, quo aegri exhausti, vel ex syncope, vel ex ipsa asphyxia, revocentur.

Interest hinc vel maxime in omni asthenia nervosa, quae ex subtracto magis, quam ex aucto ad summum stimulo natales traxit, ut praeter illa, quae corpus blande nutriant, reficiant, non vero obruant, mitiora primûm ex volatilibus, sensim

vero sensimque talia, quae, praeter penetrantem virtutem, permanentis efficaciae quid habeant, praescribantur. Remedia his in casibus utilia, generatim loquendo, sunt: infusa aquosa vel florum, herbarum, aromate praeditarum, vel radicum similium, angelicae scilicet, imperatoriae, calami aromatici, valerianae sylvestris; aquae destillatae naphae, cerasorum nigrorum, melissae, chamomillae, menthae, rutae, cinnamomi, castorei, laurocerasi, quae tamen ultima, majorem sibi circumspectionem exigit. Praeterea huc pertinent: moschus orientalis, ambra grisea, castoreum, asa foetida, phosphorus, majore tamen cautione porrigendus, aether aceticus, sulphuricus, spiritus cornu cervi, tinctura castorei, asae foetidae, ipsumque denique opium, manu iterum cauta porrigendum.

Atque haec quidem sunt potissima inter *anodyna* et *antispasmodica*, quae in nevrosibus (ratione, qua sub *speciali* istarum expositione dicemus) administrari soleant, remedia! Fatebimur interim, stimulante et calefaciente istorum ex usu indiscreto, sub sensibilitate aegrorum, saepe summum ad gradum adauctam, non raro

plus damni, quam utilitatis, emersisse; et vel ipsas hystericas foeminas, quoties sibi lipothymias, aut convulsiones habituales instare praesentiunt; toties auram liberiorem, aut haustum gelidae, et modo ut ab amica, vestes, quibus pectore stringi solent, relaxentur, adperiantur, anxie expetere; alias, vel medio inter accessiones tempore, de caloribus per omne corpus, praecipue ad faciem, tunc rubore suffusam, fugacibus conqueri, et calefacientia cane pejus abhorrescere. Nec tamen et illud hìc reticendum est: apud alias, imminentes insultus hystericos, ab assumtis aut menthae pastillis, aut infusione florum chamomillae, aut aetheris sulphurici, liquoris cornu cervi aliquot guttulis, non minus promte dissipari; ut igitur ex utroque argumento, non plus aequo concludendum esse, satis eluceat. In medio idcirco et hìc quaerenda est veritas: ut scilicet sub mysticis quasi nervorum apud hystericas, hypochondriacos, exaltationibus, accessionum imprimis tempore, mitissima, — sub aliis, apud subjecta haud adeo irritabilia minusque aetherea, conditionibus, paulo magis activis operemur auxiliis. Ubi vero debilitas ac nevrosis, praegresso-

rum stimulorum majori vehementia ortum debuerint: excitantium blandiorum loco, fortiora, id est, pristinae irritationi, effectu modo parum inferiore, mox a principio morbi indicantur subsidia per gradus denique minuenda. Sic natus ex ebrietate frequente, tremor, non vini reductione repentina, sed istius modo quantitate parum de die in diem imminuta, vel stimulis, hanc ipsam supplentibus, aufertur; et quae per vapores mercuriales inducta fuerunt symptomata nervosa: ea levioribus resistunt, ac modo potentioribus subjugantur incitantibus.

Sedantia. Remediorum *sedantium*, *anodynorum* actionem, qua viri *Scoti*, subtilioris, quam experti, theoria ex sola vi *stimulante* deduxerat: nos quidem ex alio simul, etsi minus cognito, principio in nervos agente, eosque vix non stupefaciente, deducimus. Inter plura alia, maxime papaver, hyosciamus, stramonium, cynoglossum, complures solani species, atropa, cicuta, hoc possident: ut quorum actio in morbis nervosis, saepe quidem aut noxia, aut aequivoca, aut vana, haud raro tamen utilissima censenda est. Quotiescunque nempe secretionis morbosae, aut ingluviei infensa materia nervos

teneat; quoties salutaris quaedam evacuatio, non tam per cutis colatoria, quam alias per vias excretorias, instat; quoties hypersthenica corporis constitutio, abnormes in systemate nervoso functiones provocat; aut quoties ad summam nervus sensibilitatem pervenit: toties haec *sedantia* remedia aut causam mali haud attingunt, sed facile sinu morboso ulterius foveri inducunt; aut viscerum infarctus, inflammationes, gangraenas, progenerant; aut illico sensorium commune circumdant et obfuscant magis, quam quod propaginum ejusdem motus morbosos compescant. In diversis quidem nevrosium accessionibus periodicis, — sub turbis hujus generis; quae animi affectus, quos *deprimentes* vocari placuit, sequuntur, — in summa dolorum atrocia, et longa somni jactura, quin hac ipsae ex causis alterius naturae manifestis descendant, — in spasmodicis, convulsivis insultibus, quos localis, a vulnere, capite foetus, placenta, calculis, irritatio inducit, sacram anchoram *opium* constituit; vix tamen unquam id solum morbo primario nervoso feliciter dispellendo par est; nec ipsa epileptica convulsio arcetur ab eodem. Opii virtutem

certis in morbis, ab admistis aliis remediis volatilibus, naphtha, non parum augeri, jam alibi docuimus.

Roborantia. Plura sunt ex volatilibus, quae, fixo simul principio instructa, praemissis illis, quae hoc ipsa carent, opportune administrantur. Huc spectant varia ex dictis, *amaris* nunc remediis nubenda. Hoc modo ipse tandem chinae cortex, quem sub nevrosium principio raro quis perfert, tardius, vel infusionis frigidae, vel decocti sub specie, volatilibus eidem superadditis, conducit. Martialia medicamenta, sub fine quidem nevrosium, aquarum mineralium vehiculo imprimis soluta, — sed rarius sub morbi invasione, incremento, proficua sunt. Utiliter et his ex ferro remediis, aromatica, spirituosa, variis sub formis, jungi solent.

ORD. I. GEN. I.

DEBILITATES.

VERTIGO.

§. 947. Phoenomenon frequentissimum, haud modo solum apud hominem, sed apud animalia quoque bruta quamplurima, — interdum nequidem morbosum, saepe vero discrimine plenum, *vertigo* est. Quicunque scilicet, fabri lignarii exemplo inductus, super trabe tectorum altiore ac fulcro laterali destituta, etsi spatium, cui pedes imponat, haud desit, tanto necdum ausui adsuetus, incedere tentaret: oculis ille mox caligine obductis, praecipitaretur in profundum, nec ideo *morbi*, sed solius *audaciae* culpam lueret. Poena, meretricibus in quibusdam *Germaniae* provinciis quondam imponi solita, in eo consistebat: ut infelices hae puellae, caveae, ex ligneis trabeculis constructae, angustae ac mobili, inclusae, in rerum venalium foro et coram

Vertigo artificialis, et morbus.

omni populo, celeri motu *rotarentur:* quo facto, post pauca minuta hae miserae, licet antehac sanissimae, vertigine simulque vomitu atque diarrhoea correptae, prosternebantur vix non inanimes. Dum pecudes, exterendis frumentis occupatae, angusto nimis in horreolo, — vel dum virgines, indecente, sed praedilecto nunc, saltationis *germanicae*, quam *Walzen* dicunt, sub genere, in gyros circumactae, capite nutant; non dispositionis morbosae, sed *rotationis* haud intellecto in oculos et cerebrum effectu, vertigo his inducitur, quae illi, quam navigatio maritima, aut vectio in rheda, imprimis retrograda, istarum haud adsuetis hominibus inducunt, non est absimilis.

V. morbosae definitio. §. 948. Non igitur de hac, vel homini sanissimo facile per artem inducenda vertigine, sed de illa, quae causarum vix evitandarum influxu excitatur, sermonem hic instituimus. Haec vero est illusoria, angens, et subita vel sui ipsius, vel objectorum externorum, etsi quiescentium, aut ratione haud insolita motorum, rotatio, et corporis proprii praeceps in casum nutatio.

Divisio. §. 949. Ex praecipuis vero symptomatis,

morbi istius *divisionem* petierunt pathologi. *Simplicem* nempe dixerunt vertiginem, cum objecta, prout sunt et suo colore distincta, aegris rotare videbantur; *tenebricosam* autem, seu *scotodiniam* et *scotomiam* vocarunt, si visus simul obscurabatur. *Caduca* nominabatur, ubi, praeter haec, aeger, sensu omni privatus, humi prosternebatur. Haec interim morbi, ex solo vehementiae ejusdem gradu desumta divisio, haud magni fuit ponderis, aut multiplicari potuisset pro lubitu. Potioris momenti, vertiginis divisio in *idiopathicam*, et *symptomaticam* dicenda est; ac prima quidem ex istis, ipso in cranio, altera, in parte corporis alia male adfecta, seu alio in morbo, secundariam nanciscitur originem. Haud minus utilis est utriusque divisio in vertiginem, quae *universi systematis*, diathesi vel hypersthenica, vel *asthenica*, — et illam, quae *localis vitii* imperio subnascitur. Symptomatica sine dubio fuit, de qua summus quondam *Bataviae* „de morbis nervorum" scriptor: „narratur, inquit, quod in summa *peste*, omnes aegri, in initiis, pro primò symptomate habuerint speciem vertiginis, et viderint colores pulcherrimos, acsi paries peri-

stromate esset tectus." Nec certe *typhi*, gravi vertigine juncti, exempla rara sunt; et huc *epidemicae* vertiginis specimen spectasse videtur, quam, gravissimi quondam *Galliae* medici testimonio, hieme anni 1573 algidissima et maxime diuturna regnasse docemur. Vertiginem *criticam*, saltem felicem, nisi morbo, plerumque acuto, per *epistaxin* judicato, haud observavimus. Illustris foemina *Vindobonensis*, dum febre acuta cum miliaribus laborasset; qua die peritura erat, tam violenta vertigine correpta fuit, ut, in lecto jacens, contremisceret. *Periodicae*, et quidem *caducae* vertiginis, quae solis sub occasu mulierem rusticam prehendebat, sole vero oriente disparebat, historiam, Ephemerides naturae curiosorum *Germanicae* conservarunt. Pars interim maxima vertiginum, ratione inaequali *remittit*, ac modo causae, eandem excitare solitae, actione repetita, recurrit. Ex ipsa vero causarum vertiginis indole (§. 951.), ulterior specierum divisio multiplex, in *traumaticas*, *spasmodicas*, *saburrales*, *complicatas*, *arthriticas*, et alias, eruitur.

Symptomata. §. 950. Foeminae frequentius, quam viri, vertigine laborant; utriusque interim

sexus homines sanguinei, edaces, vinolenti, seniles, debiliores, hypochondriasi, hysterismo, haemorrhoidibus quondam adfecti, literati, vitae sendentariae dediti, huic morbo magis subjecti sunt. Pro diversa vero mali, vel *idiopathici*, vel *symptomatici* indole, vertigo nunc his, nunc aliis signis incedit. In prima ex illis, caput ipsum, vel praegressae violèntiae externae, vel congestionis, oppressionis, somnolentiae diuturnae, cephalcae pertinacioris, vehementis pulsationis in anterioribus capitis arteriis, vel secretionis morbosae, suppressae epistaxis consuetae, vel auditus, visus constantius perturbatorum, vel et olfactûs gustusve imminuti vestigia prodit; alterius vero morbi, qui similia producere posset, nisi complicatio locum habeat, symptomata desunt. Cum vero et vertiginis *symptomaticae* causae, priusquam et hoc phoenomenon compareat, et caput, et sensus saepe haud parum adficiant; cum causae, licet inter se diversae, eosdem nihilominus in multis effectus producant; haud raro majores, ac vulgo credatur, difficultatis et istius morbi diagnosis est, ac attentam, nec properantem nimis medici in sin-

gula mentem sibi expostulat. *Praecedunt* in multis vertiginem, capitis dolor, tinnitus, susurrus aurium, visus obnubilatio aut festucarum, scintillarum ante oculos volitantium, adparitio, constrictionis ad jugulum anterius sensatio, insolita ingenii tarditas, somnolentia, urinae aquosae pedumque frigus. Alios autem hic morbus *ex inopinato* corripit: vel dum proni quid elevaverint, vel dum corpus, aut caput solum, ex uno latere, celeriter in aliud converterint, aut retro inclinaverint, vel ubi velocius e lecto, a sedili, assurrexerint, vel dum ab aliis, aut a rebus adeo inanimatis, hos motus institui observaverint, vel ubi plura simul objecta in modos diversos, praesertim in gyros, ut aquarum vortices, moveri conspexerint, vel ubi mentis, aut corporis vires intenderint, vel ubi pontem angustum, licet satis munitum, trajecerint, vel, alto loco positi, praecipitium inspexerint, vel dum de improviso, res ingrata mentem, aut oculos adfecerit. Utroque vero in casu aeger, sub ipsius vertiginis invasione, caput sibi obrui, se ipsum circumagi, objecta externa, vel gemella, vel dimidiata videri, variisque coloribus illuminari, in

gyrum rotari, et vel in altum, vel in profundum moveri, linguam titubare et omnes quasi musculos sibi resolvi, anxius, tremens, et superiorum corporis sudore obtectus, persentit, extensis brachiis sustentaculum quaerit, et forsitan praesentes, in auxilium vocat; aliquando et nausea, et vomitus hac sub rerum positione accedunt. Atque haec aegris forti vertigine correptis, vel extra lectum versentur, vel in eodem jaceant, quidquod ipsas si palpebras clauserint, aequo modo contingunt; nec ideo conscientiam sui perdunt, aut ea, quae sibi a sensibus externis referuntur, erronea esse ignorant. Haud raro, majore scilicet vertiginis sub impetu, et humi prosternitur miser, quin tamen, ut in *apoplexia*, sensibus et motu privatus, — vel in *epilepsia*, convulsus, in somnum quasi lethargicum incidat, et factorum memoriam amittat. Quare repentinum casum cum celerrima surrectione ac, sensuum integritate, inter symptomata vertiginis jam antiquus ac celebris *Africae* quondam medicus recensuit. Est tamen, ubi, sub vicino jam vertiginis chronicae in morbos vel attonitum, vel caducum, ut sibi adfines,

transitu, suimet aeger, et propinquorum sat diu ignarus maneat.

Causae. §. 951. Ad illustrandam *vertiginis genesin*, et spiritus flatuosos, et vapores, ventris e cavo ad caput transmissos, in subsidium vocavit infantia medica. Quodsi vero toga virili nunc indutam *Aesculapii* prolem dedeceant haec insomnia; ne tamen ullum, quod hypotheses oleat, de rebus, oculo humano hucusque subtractis, et hac maturiore in aetate judicium proferat, et posterorum aut risum, aut commiserationem moveat, prudentia suadet. Vel ipsa *vertiginis sedes* profunde nos latet. Hanc, circa visionis organa, vel ad sensorium commune haerere, ex eo conclusum fuit: quod non minus equi, vertendis in gyrum machinis destinati, inter illos nempe, qui antehac oculis privati fuerunt, electi, quam homines coeci, ab omni vertigine liberi maneant, et quod in variis vertiginosorum cadaveribus, vel ad plexus choroideos, vel ad ventriculum cerebri tertium, nunc hydatis, nunc serum, nunc sanguis, nunc vero abscessus aut sanies, comparuerint. Docuit interim experientia: a palpebris clausis, ubi angustiorem per circulum cir-

cumagitur animal, non impediri vertiginem, et ipsos adeo homines, videndi facultate jam diu privatos, hoc a morbo, ut Ephemerides naturae curiosorum *Germanicae* referunt, fuisse correptos. Multorum etiam in cerebro, etsi vertigo idiopathica fuerit, sicut post apoplexiam nervosam, nihil morbosi, quod in sensus ceciderit, detexit culter anatomicus. Quod vero haud semper in parte calvariae *anteriore* quaerenda sit sedes vertiginis, memorabile matronae *Vindobonensis*, ingeniosae, sed a longo jam tempore *scotodiniae* subjectae, exemplum, jam octo abhinc annis, nos docuit. Haec enim, hanc usque in diem vivens et bene nutrita mulier, propriae sedem vertiginis, solum ad *occiput*, nec ad capitis partem anteriorem haerere, interatò nos monuit. Testatur etiam, objecta externa sibi minime, sub mali accessione, ut se ipsam, circumagi aut rotari; sed qualia sunt, fixa, suoque colore instructa, videri. „Sensatio vero meae, quae me humi prosternit, vertiginis, inquit, *ab occipite*, ad humeros, dorsum, lumbos, usque suras, extenditur, estque mihi, acsi in posteriore calvariae parte, *cerebellum vacillaret.*

Non est igitur, de laesionum capitis, tam externarum, quam internarum, aut de vitiorum cerebri localium, in producenda vertigine, auctoritate, dubium alamus; dummodo per talia solùm, nec absque illis, vertiginem idiopathicam posse produci, nolit praetendi. Ac revera, hunc morbum, ut partim jam nos ipsi docuimus, saepe producunt: epistaxis imminens (§. 591.), contusio, compressio, percussio, sternutatio frequentior, encephalitis (§. 140.), capitis caries, exostosis, fractura cranii, abscessus ad aures, hydrops ventriculorum cerebri (§. 737.), et sicut apud oves vertiginosas, *cenurus*, ita apud hominem, *ecchinurus* in iisdem (§. 905.), vasorum capitis obliteratio, vel in osseam substantiam mutatio; sed haud minus et illa, ut diximus, quae nullam, sub sectione cadaverum, in cerebro mutationem offerunt. Hùc spectant: profundior et per horas continuata, meditatio, subitaneus ex loco obscuro in clariorem transitus, lucis splendidioris diuturnior adspectus, strepitantior instrumentorum musicorum sonus, odor penetrans, aut specifice contrarius, fumus nicotianae tabaci apud non adsuetos, aut ille carbonum, vel

calcis, narcotica; opium scilicet, hyosciamus, datura stramonium, ut digitalis, cicuta, aconitum napellus, atropa belladonna, lolium temulentum, insolatio, capitis, praecipue calvi, refrigerium, ebrietas; animi pathema fortius, praecipue terror timorque summus etc.

Vertiginis symptomaticae, nunc ex universi systematis, nunc vero ex locali magis adfectione venientis, causae quamplurimae sunt. Sic a jejuno haud minus, quam a repleto nimis ventriculo, a saburris gastricis, a flatibus ac spasmis apud hypochondriacos, hystericas, a vermibus, ab alvi obstructione, ab haemorrhoidibus, menstruis, epistaxi, suppressis, a praegnatione, a jactura sanguinis, seminis, puris, vel a celeriore aquarum per paracenthesin evacuatione, a drasticorum abusu, a typho, maxime a peste, ab adynamia convalescentium, ab arthritide, podagra, a nimia pinguedine, ab impetigine habituali, fonticulis, ulcere chronico, sudoribus axillarum, aut pedum consuetis, incaute suppressis, sanatis. Anno 1802, virum *Polonum*, gravissima vertigine ac cephalaea jam diu detentum, per quindecim dies sublevare ne- Vert. symptomaticae.

quaquam potuimus. Tunc temporis scilicet nulla adhuc de *plicae polonicae* forma et incessu experientia nobis fuit propria. Accessit juvenis medicus *Polonus*, aegrotantis amicus, nosterque tunc auditor, qui ex incipiente leviori capillorum capitis crispatione, futuram in plicam, patriae morbum conclusit, nostramque in hanc adfectionem attentionem excitavit. Ac revera, post octo jam dies, hic morbus, omne per caput prodivit, ac vertigo non minus, quam cephalaea, docente magistrum discipulo, disparuit. Pars harum causarum major de *debilitate* testatur; interdum interim ignis sub cineribus latet, ad cujus investigationem, experientia magis, quam ratiocinatio perducit. Vertigo facile per accessiones repetit, et quotannis, vere ac autumno, solet invadere. Aer quibusdam montanus, aliis ventus austrinus et humidus, vertigines excitant; et jam *Hippocrates*, a constitutionibus aquilonaribus hunc morbum provocari monuit. An, sub certis telluris phoenomenis, vapor hincinde exhalat, cerebro infestus? ... „Cum ante aliquot annos *terrae motus* fieret," inquit magnus quondam de morbis nervorum" scriptor *Batavus*,

colloquebar cum aliis in bibliotheca, et omnes eramus vertiginosi, nemo tamen suspicabatur de terrae motu, nemo quidquam metuebat." An potius, ut opinamur, *tremulus* tunc magis quam concutiens; terrae *motus* his viris, animo eorum ad alia converso, necdum sensibilis, generalis inter illos vertiginis causa fuit?... Ab electricitate, a galvanismo excitatam fuisse vertiginem, observatum fuit; et nos ipsi surdae mulieris, quae mox ab hoc ultimo, in hunc morbum atque in epistaxin incidit, exemplum habuimus.

§. 952. Non omnem vertiginem de *morbo* testari, jam (§. 947.) monuimus; et ipsa, quae ex causis morbosis originem ducit, pro indole istarum, diversam admodum *prognosin* agnoscit vertigo. Infidum igitur medici inter antiquos celebris, de istius adfectionis significatione, judicium est, dicentis: „Est denique istius passionis adfectio *saluti innoxia*, hoc est, *sine omni periculo*, nisi quis maretenus, aut ex alto cadens, ratione casûs potius, quam passionis violentia, perire videatur." Quam vero longe magis miramur, summi quondam *Pataviae* medici et egregii „de Prognosis.

morbis nervorum" scriptoris, hac de adfectione sententia est, ut qui: „Vertigo, inquit, est omnium morborum capitis levissimus et facillime curabilis, unde omnes alii capitis morbi incipiunt, et qui, hisce curatis, saepe relinquitur." — Non tam levis certe *Hippocratis*, hoc de symptomate praedictio fuit, dicentis: „Quibuscunque cephalalgiae et aurium tinnitus, citra febrem, et tenebricosa vocis tarditas, et manuum torpor, hos apoplecticos fieri exspecta!" — „Quibus in febribus vertigines ab initio, et capitis pulsus fiunt, et urinae tenues, in his exspectare oportet, ut ad judicationes febris exacerbetur. Nec vero mirarer, si delirarent." — „Quoscunque una cum doloribus (capitis) vertigines corripiunt, malum aegre exsolubile ac furiosum existit. Senibus autem maxime hic modus fit." — „Febres vertiginosae et cum volvulis, et sine volvulis, perniciosae." — „Ex haemorrhoide parum adparente, vertigines obortae, parvam ac modicam syderationem significant. Solvit venae sectio; et quidquid hoc modo adparuerit, mali aliquid significat." — Vertigo igitur, si recens est et rara, periculi

plerumque immunis est; inveterata vero et frequens, praesertim si fuerit tenebricosa, majorum saepe morborum, melancholiae, furoris, apoplexiae, aut epilepsiae praenuncia est. Nullius certe ponderis vertigo, quae a prima juventute, ac sanitate coeterùm illibata, ex rotarum circumactione, ex praecipitii, aut fluminis rapidi, ex alto adspectu, ex transitu pontis angusti nulloque sustentaculo custoditi, ex motu corporis aut proprii, aut alieni in gyros, ex inclinato profundius, aut ex reclinato capite, ex navigatione, aut ex vectione retrograda in rheda, exoritur. Praegnantium vertigines, absoluto a partu disparent. Consideranda igitur est vertiginis species, ut judicium fieri queat, et ponderandae sunt causae. *Simplex* vertigo securior est, quam *tenebricosa* et *caduca:* proxima enim haec est, in junioribus, — epilepsiae, — in senibus vero, apoplexiae, dum nempe *idiopathica* morbo est indoles. Quae vero *symptomatica* vertigo est, ea morbi principalis prognosin dividit. Solvitur illa saepe, insequentibus epistaxi, haemorrhoidibus, menstruis, antehac suppressis, auribus manantibus, vomitu atque diarrhoea. Hinc: „ver-

tigines ab initio, inquit *Hippocrates*, sanguinis e naribus fluxio solvit." Sub haemorrhagiis, imprimis uteri, vehementibus, primum imminentis syncopis, aut mortis ipsius, symptoma vertigo est. Vertigines, quas impetigo habitualis suppressa, consueti sub axillis, ad pedes, sudores, tinea, ulcus, cauterium antiquum, improvide sanata, induxerunt: eae, adpertis iterum vel sponte vel per artem, ad cutem, secretionis morbosae his fontibus, saepius disparent.

Cura. §. 953. Curandae vertiginis ratio in eo consistit, primò, ut vera hujus morbi indoles, num scilicet vertigo ad *idiopathicas*, num vero ad *symptomaticas* pertineat, eruatur; secundò, ut utriusque speciei in *causas* attente inquiramus; atque tum ex istarum, tum ex subjecti et symptomatum consideratione, num vertigo ex *locali*, num vero *systematis totius* e vitio oriatur, — atque hoc ultimo in casu, num ea *inflammatoriae*, num vero *adynamicae* naturae sit, distinguamus; tertiò, num sub ipsa morbi invasione, num vero intervallo, accessionibus intermedio, constitutus sit aeger observemus. Cum autem sub ipsa vertiginis,

imprimis caducae, invasione, in haec singula, tam adcurate, ac necessarium esset, inquirendi occassio desit; ante omnia, quae hac, sub aegri positione, facienda sint, ad interim ordinandum est. Accessione igitur praesente, animi et corporis quies imperanda, aeger obscurum, sed aere puro ac temperato praeditum in locum, capite nudo et altius collocato, reponendus, collari ac vestibus, quae corpus comprimerent, ac vasa cutis arctarent, spoliandus, pedes balneo tepido immittendi, aut, si inopportunum hoc foret, pannis, aquâ tepida imbutis, fovendi, perfricandi, fasciae quoque, nisi alia obstent, artubus, quae sanguinis raptum ad caput imminuant, moderate injiciendae sunt; alvus autem ope clysteris movenda est. Ab odoramentis fortioribus, aegri sanguinosi, repleti, praesertim idiopathica in vertigine, sibi caveant! Acetum, jam *Romanus* historiae naturalis princeps „vertiginosis perquam utile esse", edixit; ne tamen et huic nimis insistendum est subsidio.

Ante omnia vero, sub vertigine tenebricosa vel caduca, aut ab amicis, ab adfi-

nibus, aut ipso ab aegro, loquelae iterum compote, quae istius praevaleat constitutio, quae causae hanc vel excitaverint, vel depresserint (§. 951.), et quae demum ex istis deducenda sit indicatio videndum est. Quo casu aut *symptomatica*, aut vero *traumatica* videbitur adfectio: cujusvis ex istis rite pertractandae, vel ex aliis hujus operis locis, vel ex praeceptis chirurgicis, haurienda erit ratio.

Frequentem omnino vertigini occasionem gulae vitia, et neglecta ciborum subactio, non minus, quam bilis morbosa secretio porrigunt (§. 100.); et hoc in casu, et medicamentum alvum evacuans, efficacia pollet; sed saepe aut inflammatoria ad encephalum dispositio latet, aut spasmodicae vertigo est indolis: qua sub rerum positione, tam nausea, quam vomitus ex ventriculi cum cerebro consensu veniunt, et aegrorum in perniciem vel emeticum praescribitur; vel, quod adhuc superest, virium, per alvum subducitur; atque hoc certe sensu *Hippocratis* praeceptum: „vertiginosos, medicamentis purgare non opportet," intelligendum est.

In morbis spasmodicis, apud hypochondriacos, hystericas, post varia animi pathemata, vertigine nihil frequentius est. Hoc igitur in casu, blandiora, primùm, quae minimae exaestûent, aut caput obnubilent, et quae suo loco fusius exponentur, remedia indicata sunt. Saepe, dum calor internus ac sub menstruorum forsitan, aut haemorrhoidum suspensione, morbosa his in subjectis vasorum irritabilitas urgebant, summos elixir acidum *Halleri*, grato syrupo et frigidae commistum, effectus hac in vertiginis specie nobis praestitit.

His igitur remediis, quae magis urgent, praemissis, primarum viarum *atoniae* prospiciendum est: ut quae, desideratae ciborum contraria, et flatus, et spasmos generat, qui ipsi, aequali sanguinis per vasa abdominis fluxui obicem ponendo, vertigines vel maxime provocant. Sub hac rerum conditione, amara potissime, ab initio tamen minus saturata, decoctum ligni quassiae, cui, adhuc fervido, calomi aromatici radix infusa fuerit, commendari merentur.

Vertigo, quae homines laute nutritos et succiplenos, potui spirituosorum dedi- Vert. idiopath.

tos, imprimis post epistaxis, menstruorum, haemorrhoidum suppressionem, sub somnolentia insolita, sub faciei, oculorum rubore, cephalaea constante, pulsatione arteriarum capitis, invadit: ea, praeter regimen debilitans, atmosphaeram temperatam, pro vehementia morbi, nunc venae sectionem, nunc hirudines post aures et tempora, vel ad occiput, scarificationes ad nucham et inter scapulas, fomentationes capitis ex aceto et frigida paratas, alvi moderatam evacuationem ope calomelas, vel seri lactis tamarindinati, pro potu limoneam tenuem, aut hordei decoctum cum nitro et oxymelle, sibi exigit. Arteriarum temporalium, vel post aures decurrentium sectionem, sub hac specie vertiginis laudarunt antiqui; fatemur interim, nos, ob fasciarum, ad sanguinem saepe difficulter sistendum, et compressionis necessariae incommoda, nequidem in ipsa encephalitide, hoc ad subsidii genus unquam confugisse. In genere, cum hac in vertigine dispositio quidem ad phlogosin, sed necdum inflammatio ipsa cerebri adsit; tumultuariam illa medendi rationem eo minus sibi exposcit: quod haud semper diagnosis extra omnem dubi-

tationis aleam sit posita; et quod, jam forsitan exorto ventriculorum aut anfractuum cerebri hydrope, audacior sanguinis detractio, plus noxae, quam lucri adferret.

Haud vero semper tam pura vertigo idiopathica est, quin ea frequenter ex arthritide, rheumate, herpete, ex aliis partibus ad cerebrum conversis proficiscatur; ex quo concludi oportet: quod, licet, si febrem excipias, veste, qua inflammationes incedunt, induta, non a sola semper lanceola juguletur vertiginis haec species. Hinc minime rarum est, hunc morbum, etsi non pauco cruore detracto, easdem, quas prius, insidias cerebro struere, atque non prius, quam redeunte ad pedes arthritide, vel habituali ad cutem impetigine, hoc organon deserere. His igitur in casibus, natura scilicet monstrante viam, aut sinapismos pedibus, aut emplastrum vesicans cervici, temporibus, aut vero nuchae, cauterium, setaceum adplicarunt medici et, quamcunque demum hi sibi de modo agendi illorum, hypothesin, interdum absurdissimam, formassent; felicem haud raro eventum obtinuerunt. Non tam felix tamen esse hic potuit, dum, theoriâ prorsus absurda seduc-

ti, ex *vapore* abdominis ad caput penetrante, vertiginem derivantes, *flatuosos* hos *spiritus* per *errhina*, seu sternutatoria naribus excutere studebant, atque sic cerebro, jam nimis aegrotanti, majorem violentiam inferre haud reformidabant.

Praeter ea, quae hucusque contra vertiginem exposuimus, subsidia, alia, et quidem innumera, nec albi pavonis excepto stercore, tam superstitioso a vulgo, quam clari quidem nominis, pro more tamen saeculi, ad nauseam usque credulis a medicis quondam proposita fuerunt. Haud alia interim ratione has artis medicae maculas hìc tangimus, nisi ut, quantum superstitio, quantum credulitas ejusdem artis incremento hucusque obfuerint, et saeculo decimo nono, in similes errores hincinde nitenti, et a viro sene, eorundem nimis experto, dictum sit.

ORD. I. GEN. II.

APOPLEXIA, PARALYSIS.

§. 954. Examinatis hucusque primis *apoplexiae* liminibus (§§. 947 — 953.), truculenti hujus morbi ipsius descriptionem ordimur. Tanta vero istius frequentia, vel solum apud hominem, est: ut pauculum illud, quo inter animalia coetera eminet, intelligentiae, caro satis pretio a multis emendum sit. Haud paucis quidem, ex ruptis in cava thoracis aut abdominis aneurysmatibus, vomicis, vel ex angina, ut vocant, pectoris, inopinato defunctis, *apoplexia*, in schedis mortuariis, ut obitûs causa adscribitur; sed et illorum etiam, quos *morbo attonito* succubuisse, dubium haud superest, numerus, etsi *rure* utique minor, *populosis* tamen in urbibus, hominum potiorum, aut literatorum, certorumque opificum in classibus, et maximus est, et, ob rationes infra referendas, indies major fieri minatur. Prae aliis, ho- Morbi frequentia.

mines gibbosi, collo brevi, vel (dum certe rarius una ex cervicalibus vertebris deficit) rectius pingui et grasso instructi, infantes rachitici, potatores, gulosi, peripneumonici, asthmatici, hydrothoracici, vel alio pectoris, maxime cordis, vitio organico, tracheophymate detenti, profluviis normalibus habitualibus privati, fortioribus animi pathematibus agitati, studiis severis nimis addicti, arthritici, podagrici, epileptici, maniaci, hypochondriaci, hystericae, ac partim tam gravidae, quam parturientes mulieres, immensum prorsus apoplecticorum, paralyticorum catalogum quot annis componunt. In universali nosocomio *Vindobonensi*, quin hic de illis, qui apoplexia aut liberati fuerunt, aut, a chronica paralysi correpti, supervixerunt, sermonem faciamus, tempore *quindecim* annorum (ab a. 1787, ad a. 1802.), hoc a morbo exstincti fuerunt 1241, pauperum e classe, homines. Hos inter, *sexûs virilis*, 637, — *foeminei*, 604 fuerunt. Magis letales pro sexu *potiore*, annus aetatis, primo loco, quinquagesimus; secundo, sexagesimus; tertio, trigesimus; quarto, sexagesimus; ac, ultimo, sexagesimus

octavus; — pro sexu *sequiore*, annus aetatis, primò, sexagesimus; secundò, quinquagesimus; tertiò, sexagesimus sextus; ac, postremo, septuagesimus, fuerunt. Tam in *Gallia*, quam in *Anglia*, apoplexiam, ab anno sexageximo, longe magis, quam aetate maturiore, frequentem esse, refertur. In nosocomium *paralyticorum*, quod in *Angliae* loco *Bath* exstructum est, a. 1776, *viri* paralytici, 45, — *foeminae* vero paralyticae, 19, admissae fuerunt. Duplex ibidem numerus lectorum pro *viris*, — pars tantum dimidia eorum, pro *foeminis*. Cum vero nec hi quidem omnes a sexu sequiore occupentur; virorum lecti, pro his aegris, nequaquam sufficiunt, ac haud raro paralytici 30, 40, admissionem exspectant. Quoad *numerum*, aliam et aequalem, inter viros ac foeminas apoplecticas, proportionem in *Gallia* subsistere, recentior ejusdem „de apoplexia seu haemorrhagia cerebri" scriptor praetendit. Ex decrepitis hominibus *decem*, ut retulit celebris quondam *Berolinensium* anatomicus, ac „de morbis peritonaei et apoplexia" scriptor, *novem* apoplexiâ, *decimus* vero inflammatione

gangraenosa moritur; quae tamen ex uno morbo, in ea aetate, mortalitas inter eos, quos indicavimus, aegros locum non habuit: cum ab anno vitae septuagesimo octavo, usque ad centesimum et quintum, tot inter apoplecticos, non ultra 46 hac specie mortis perierint. Passim circa aequinoctii atque solstitii tempora, nec non sub insolito mercurii in barometris descensu, apoplecticorum major videtur esse numerus.

Nominum ratio.

§. 955. Nisi, ut aequum esse censemus, antiquae morborum nomina, capitisque humani auctoritatem majorem veneraremur; *apoplexiae* illud, quod, praeter percussionem, resolutionem, nihil exprimit, jure civitatis lubenter exuissemus, atque vel solius *paralysis*, et quidem *capitalis*, nomen eidem substituissemus; vel *siderationem* ex *medullae spinalis*, aut ex *nervorum*, *maxime gangliorum*, adfectione venientem, non minus apoplexiae *vertebralis*, *nervosae*, titulo condecorrassemus. Haud aliam symptomata apoplexiae differentiam inter se constituunt, nisi quod *sopor morbosus*, *hemiplegia*, *vomitus attonitorum idiopathicus*, extensa magis in cerebro, cerebello, resolutionis, laceratio-

nis, — principii vero unius modo vel alterius nervi, in iisdem limitata magis oppressio, aut hujus tantum, aut illius nervi, qui vel oculum, vel linguam, aut pharyngem, oesophagum regunt, paralysis argumentum largiuntur. Concludimus ex istis: vel unius, vel plurium nervorum cerebralium impeditam, suppressam functionem, semper unum eundemque morbum sistere, ac definitionem, quae unum vel alterum istorum excludit, non parum hallucinari. Paria nervorum cerebralium, duodecim, motuum voluntariorum ac sensuum, — triginta vero nervorum medullae spinalis paria, motuum involuntariorum ac viscerum trunci imperio potita sunt; hoc ipso vero haec singula, fato aequali ac armis iisdem, nunc modo certum per tempus, nunc omnem per vitam spoliantur, ac infortunio simili subjecta, diverso haud indigent nomine. Sic jam potissimus *Graecorum*, delineandis in morbis medicus: „*apoplexiam*, *paraplegiam*, *paresin*, *paralysin*, omnia genera eadem esse“, edixit; ac certe haud parum incongruum videtur, prima morbi istius die, eundem *apoplexiam*, — jam altera vero, *paralysin*, *hemiplegiam*, vocari.

Paral. capitalis definitio.

§. 956. Cui fidelis *apoplexiae* descriptio haud satisfecerit: illi definitio, quae diversis hujus morbi et formis, et gradibus correspondeat, nulla speranda est. Quos nempe apoplexia (*paralysis capitalis* a nobis vocata) corripit, ii partim adparatu symptomatum ad caput sat *levi*, siderantur tamen ad partem unam vel alteram; — partim, quasi fulmine percussi, inanimes concidunt; — partim spiritum unam alteramve per horam, vel diem, ultimum, sui immemores, trahunt; — partim vero sui compotes quidem fiunt; sed nunc plures per menses; nunc omnem per vitam, donec altera et major accessio huic finem imponat, usu membrorum, nec raro et sensuum internorum, magna ex parte privati, misere vegetant. Quodsi nihilominus exclusis apoplexiae *levioris*, et illius, quae sub ipsa invasione *illico* letalis est, casibus, paucis modo lineis diri hujus morbi imaginem, omni illius progeniei ac aetati haud prorsus dissimilem, exprimere vellemus, *apoplexiam*, seu *paralysin capitalem* diceremus: soporem morbosum tamque repentinum, ut hominem, sensu et motu,

exceptis illis thoracis et cordis, majore ex parte privatum prosternat.

§. 957. Ex ipsa, quam vix tradidimus, apoplexiae definitione (§. 956.), *divisio* ejusdem, quoad gradum, in *leviorem* et quasi molimen ad morbum attonitum, in *subitò letalem*, ac in *exquisitam*, elucet. Potioris interim momenti distributio hujus morbi, respectu causarum (§. 959.), primò, in *idiopathicam* et in *symptomaticam*, secundò, in *hypersthenicam*, ac in *adynamicam* est: ut quae divisiones, quousque saltem nostra cognitio pertingit, apoplexiae species, quas nosologi enumerant, omnes comprehendunt. *Haemorrhagiam cerebri* (quod nomen jam pridem celebris *Germaniae* medicus apoplexiae imposuit) unicum morbi attoniti genus sistere, ac species illas apoplexiae, quas nosologi *serosam*, *nervosam*, vocarunt, alterius indolis morbos esse, ut recentior *Galliae*, „de apoplexia vel haemorrhagia cerebri" scriptor praetendit: tam rationi, quam experientiae innixi, haud credimus. Sunt etiam, qui morbum attonitnm *simulaverint*. Divisio.

Symptomata prodroma.

§. 958. Homines non pauci, in apoplexiam nitentes, priusquam plenàm haec ipsa jugum eisdem imponat, per plures jam dies, hebdomadas ac menses, tam vertigine, quam variis simul soporis morbosi gradibus prehensi, incedunt; et hos ipsos soporis gradus, *graeci*, subtilius, quam distincte ac utiliter, in *coma*, *cataphoram*, *lethargum*, et *carum*, — ipsumque *comä*, in *vigil* et *somnolentum*, distinxerunt. Evigilari per stimulos vel hos vel illos, ejusmodi homines queunt; nec a somno reductis, ullus vel motus, vel sensus illis deficiunt. Vidimus adeo supremum venatorum praefectum per omnem vitam ita comatosum, ut ipsi principis regnantis mensae adsidens saepe dormiret ac medio sub somno, vinum poculo, ad plenam redundantiam ac omnis ut mensa maderet, infunderet; nec tamen vir hic nobilis, cujus filius, jam quadragenarius patrem dormiendo sequebatur, apoplexiâ, sed alio morbo jam octogenarius, obivit. Simile huic exemplum clarus quondam „de anima brutorum" scriptor *Anglus* reliquit. Sat multi tamen nec minimo aut somni, aut vertiginis, aut cephalaeae signo praenuntio ac inopinanter *siderati* concidunt.

Saepe tremor partisque frigus praecedit; aut motus in unam partem impeditus, quasi unus alterve musculus, per aliquod tempus officio suo deesset. Sunt alia symptomata, non soli quidem apoplexiae futurae absolute propria, quae tamen apud *praedispositos* hunc ad morbum homines(§.954.), maxime si causae huic praedispositioni faventes (§. 959), vel similis adfectio jam pridem praecesserint, significationem utique majorem adquirent.

Pars major illorum symptomatum *caput* respicit. Praeter gravedinem scilicet, ponderis, plenitudinis sensum, ac vertiginem, praeter majorem solitâ in somnos propensionem, arteriarum calvariae pulsationes, capitisque dolores, de quibus jam diximus, aliquando sub calvariae versione vel hoc vel illud in latus, adauctos, vehementes sub somno, aliquando etiam justo breviore, adparitiones, incubus, aurium tinnitus, susurrus, vel bombus, aut subitanea surditas, odoris, saporis imminutio, celerior dictorum, scriptorum oblivio, visûs obnubilationes, obscurationes, diplopia, amaurosis, macularum, festucarum, scintillarum, lucis clarioris ante oculos, interdum **Ad caput.**

rubentes, prominentes, fulgore insolito splendentes, observatio, palpebrae lapsus, convulsio, lacrimatio involuntaria, stillicidia narium, rubores genarum inconsueti, vultûs plenitudo, musculorum faciei hincinde subsultus, oris momentanea distorsio, tremula, vel minus expressa locutio, balbuties, vel proferendi sermonis, sine omni ratione, interruptio, stridor dentium sub somno, tremor, retractio labiorum frequentior.

Ad jugulum.

Aliis, de *jugulo* querelae: scilicet vel de cervicis tensione, dolore, ex occipite per illius vertebras descendente, vel de frequentiore, ex cibi aut potus portione, sine conspicuo in pharynge obstaculo, in tracheam delapsa, tussi, vel de brachii et manûs, aliquando simul de cruris, vel pedis torpore, languore, tremore, anaesthesia, contractione, aut tendinum subsultu, aut sensu formicationis, hincinde molestis. Non paucis venae jugulares inflantur. Senes imprimis ad occiput ac nucham, saepe diutius dolent, capite ad anteriora inclinato incedunt, genubus titubant, vacillant, antequam apoplexiâ prosternantur.

Thoracis, cordis, ac pulmonum functiones hucusque plerumque illaesae persistunt; ac erudite omnino jam *Pergamenus Hippocratis* commentator: „in hoc (casu) inquit, primariò affici putavimus illam *spinalis medullae* partem, quae paulo inferior est processu nervorum ad septum transversum tendentium."—„Cum per *somnum* omnes musculorum actiones exsolvantur, sola actio, quae ad thoracis musculos pertinet, servatur." — „Porro, qua ratione homines per somnum spirant, reliquis musculis omnibus quiescentibus, eâdem quoque ratione per minorem apoplexiam atque alios et vicinos affectus spirare possent. Ubi vero vel apoplexia, vel alius quispiam affectus adeo vehementer increverit, ut musculorum thoracis ratio omnino deperdatur; perire simul respirationem necesse est." — Quam vicina haec magni viri (cui nequidem cadavera *humana* incidendi occasio concessa fuit) animadversio, eximii *Galliae* nevrologi, de *medullae spinalis*, in cordis motus, auctoritate, doctrina fuit! Sed, quod in pluribus, posthinc apoplexia et hemiplegia correptis, observavimus, est humeri unius prae altero depressio, in- Incurvatio trunci.

curvus in latus oppositum incessus, et aucta gradatim columnae vertebralis ac trunci totius inflexio. Sic illustris clinices *Vindobonensis* antistes, postquam, fere per annum, in latus *dextrum* incurvatus incessisset: non ita pridem, post paucos ab apoplexia dies, *sinistro* in corporis latere paralyticus perivit. Eodem modo quadragenarius, et admodum robustus hujus metropolis lanio, postquam per plures jam menses dextrum in latus decurvus per urbem ambulasset, *sinistro* latere hemiplegicus, a. 1801, e vita decessit. Eadem ratione, paucos ante annos, medicus hujus metropolis conspicuus, per annum et ultra, in latus unum et idem incurvus ingrediebatur, vacillabat, frequentius cadebat; postea vero ab hemiplegia correptus fuit.

Ad viscera abdom.

Partem interim eorum, quae cerebro, vel medullae spinali insidiantur, majorem sibi *viscera* tam *abdominis*, quam *pelvis*, assumunt. Haud paucis nimirum, hoc rerum sub statu, quin diaetae errorem commiserint, dyspepsia, cardialgia, vomitus accedunt; saepius urinae mittendae, vel alvi excernendae, sine alterius causae praesen-

tia, diuturnior retentio, aut involuntaria hinc inde lotii excretio.

Haud raro insueta ad *artus*, debilitas, torpor brevis, formicatio, percipiuntur, nec rarum est, ulcera, cauteria artuum antiqua, secretionem antehac abundantem, sponte suspendere, exsiccari et claudi; vel consuetas hucusque impetigines, cutem deserere, vel axillarum pedumque sudores evanescere: quod non paucos, ut hunc morbi, ad caput latentis, saepe *effectum*, ejusdem pro *causa* declararent, induxit. Ad artus et cutem.

Haud semper modo tam violento apoplexia adgreditur hominem, ut eundem, sensu et motu privatum, humi prosternat; et non paucos observavimus, qui, etsi capite non multum turbati, repentina nihilominus correpti fuerunt a paralysi. Sic (ut aliqua saltem ex multis exempla breviter hic adducamus) a. 1808 *Poloni* principis curam gessimus, qui vir adhuc juvenis, cum dilectissimae uxoris, ex phthisi pulmonum jacturam *Vindobonae* fecisset: jam die hanc mortem sequente, absque signis apoplexiae praeviis faciei parte dimidia resolutus, post paucos vero dies a paralysi restitutus fuit. Sic, sub finem martii 1809, vir triginta duorum an- Symptom. apoplexiae levioris.

norum, *Vindobonensis*, cum nullum apoplexiae symptoma praecessisset, in faciei, laterisque dextri semiparalysin, incidit, *subsequente* diu vertigine. Mense ac anno iisdem, in eâdem metropoli, vir 53 annorum, bibulus, dum prandium assumeret, oculum *dextrum*, sinistro minorem exhibuit; mox vero angulus oris *dexter* ad superiora tractus et, modo haud solito, *ejusdém lateris* hemiplegia levior secuta est. Soporosus quidem hic aeger fuit; sed facili opera excitari is potuit. Jam altero hujus invasionis die, vidimus hunc aegrum hilarem et jocosum; brachium ille sat aegre, facilius tamen, quam heri, movebat. Ad singula adaequate non minus, quam expedite respondere, linguam tamen, nisi *oblique*, exserere non poterat, et gena sinistra pendula pallescebat. Mercator *graecus*, 58 annorum, apoplecticorum a familia descendens, corpulentus quidem, sed, ob res domesticas ac non levem bonorum jacturam, animo dejectus, die 14. Julii 1811, *Vindobonae*, in totius lateris sinistri hemiplegiam et levem genae dextrae retractionem incidit simulque, etsi omni fere videndi facultate, *dextro* potissime in oculo, destitutus et quid-

quam soporosus, *memoria tamen atque judicio vel minime caruit*, respiravit facillime, ac pulsum nec durum, nec lentum, adhuc altera die, qua et nos accersiti fuimus, medicis obtulit. Motu vero quovis in parte sinistra privatus, sensibilitatem nihilominus in eadem intactam retinuit. Vir *hebraeus*, 50 annorum, mercator *Vindobonensis* locuples, crassus et pinguis, aspectu sanissimus, dum paschatis festa anno 1815 religiose celebrasset, per horas plures orationibus indulsisset, atque in templo nimis angusto copiose transpirasset: tenuis ac sericeis tunc vestibus indutus, tempestate humida et frigida per urbem deambulavit. Jam altero die, ad latus corporis sinistrum, *sensum* fere omnem, incipiendo ab aure, ita amisit: ut et trunci latus sinistrum cum brachio et crure ejusdem lateris, obtuse tantum, quasi tensa sentiret, quin tamen motus harum partium ablatus fuisset. Nulla vero aut vertiginis, aut cephalaeae sensatio hunc rerum statum praecessit, ac memoria huic viro permansit illaesa. Post dies interim haud multos ille, a novo apoplexiae insultu correptus, vitâ excessit. Mense novembris a. 1804, *Vilnae*, ad virum

77 annorum in consilium accersiti fuimus. Referente medico hujus aegri ordinario, nulla apoplexiae symptomata praecesserant; pars interim corporis *sinistra* omnis paralytica fuit. Quod vero magis hic adnotari meretur, et cujus exemplum aliud jam supra retulimus, est: quod, etsi senex ille hemiplegia *sinistri lateris* laboraret; faciei tamen musculi, hac ipsa in parte, haud vero in opposita, seu dextra, *contracti* fuerint; et quod gena, flaccida, e maxilla *dextra* pependerit.

Symptom. apoplexiae subitò letalis.

Apoplexiae, mox a sua invasione *letalis*, jam (§. 957.) mentionem injecimus. Hic nempe atrocissimus mali hujus gradus, saepe inter comessationes, in publicis saepe consiliis, imprimis vero sub medio fere somno, et quidem ita locum invenit, ut hoc sub insultu, vel solo clamore mortem instantem miser adnuntiet; vel, et hac facultate destitutus, prius vivere desinat, quam de morbo incideret cogitatio, aut morbum ipsum persenserit. Numerosa nimis hujus mortis ex apoplexia improvisae exempla et nobis obvenerunt et, si vel ipsi morti satis fidendum esset, sub medicorum nequidem considerationem talia caderent. Dum vero

apoplexiam haud subito letalem, primo aspectu, cum somno profundiore aut sanorum, aut ebriorum, aut a vertigine humi prostratorum confundi posse dixerimus (§. 954); morbus attonitus, mox sub invasione in mortem terminatus, quod nempe sub eo et arteriarum pulsationes, et respiratio cessaverint, non tam pro illis, quam gravi pro syncope, vel pro asphyxia, medico imponere posset. Facies interim eorum, quos paulo ante apoplexia enecuit, praeter quod apud multos dispositio, aut vero symptomata morbi istius prodroma adperte satis praecesserint, plerumque inflata, turgida magis atque sublivida, — asphycticorum vero illa, collapsa simulac pallidissima est.

Primum symptoma, quod in homine, apoplexia *exquisita* laborante, observemus, est *motus voluntarii majorem ad partem abolitio*. Sub hac, aeger, quo latere corporis resolvitur; in hoc ipsum, nec facile in aliud, corruit; vel, quo loco a morbo percussus fuit, in hunc prostratus et *profunde sopitus*, quasi plumbeus, jacet. Primo saltem intuitu, modo parum a *somno profundiore*, ab *ebrietate* et a

Symptom. apopl. exquisitae.

vertigine caducis, apoplexia distat; nec desunt medicorum exempla, qui, praecipiti nimis de his judicio, non pauco profanorum offendiculo, erraverint. Sic triginta abhinc annis, medicum, in arte non parum versatum, novimus, qui, dum unum suos inter aegros copiosos, quotidie invisendos, in sedili positum suoque capite propriis brachiis incumbentem vidisset: digitis carpo vix admotis, eundem profunde dormire, adfinibus congratulatus et se ipsum post horas duas rediturum promittens, discessit. Vix interim hic scalas descenderat; cum ille, apoplexiâ jam antehac exstinctus, corruerit. Non multo post, vir alius, admodum pinguis, animi placidi, et somno profundissimo frui solitus, urbem vicinam accessit, ac vix istius cauponam ingressus, a sedili, in quo mox obdormiverat, in medium cubile prostratus, ronchos et in hac positione ducere continuavit. Cum vero hic vir, superveniente a cellario, etsi valide concussus, evigilari nequaquam potuisset; medicus quam celerrime ad illum accersitus est. Hic, apoplexiam peregrino huic viro supervenisse ratus, et venam eidem adperiri, et

vesicantia cruribus adplicari, et mox sacra administrari, imperavit. Cum vero nec accersito a parocho excitari hunc hominem licuerit: extremam modo unctionem eidem indulgere, presbyter constituit. Vix autem iste, illius, ad lectum collocati, pedes, hoc sacrum ad opus denudatos, blandissime attigerat; cum dormiens, jam antehac *titillationis* impatientissimus, mox expergefactus, his non parum commotus ceremoniis, easdem, ut sibi necdum nessarias, deprecatus est. — Ne igitur, et vobis, in similes errores conjectis, erubescendum sit, jam facite, quod, si homini profunde dormienti faceretis, eundem sat vigilem redderet! et videbitis, *nec minimum sensum* superesse huic misero. Atqui ex hac sensûs ac motûs jactura, vel mortuum, vel asphycticum, vel saltem a gravi lipothymia correptum diceretis hunc hominem, nisi profundi imaginem somni, et respirationem, et cordis motum eidem superesse conspiceretis. Hoc autem in aegro, spiritum, sub *stertore, ronchis,* atque *majore thoracis dilatatione* duci, in alio vero respirationem haud ita difficilem esse, observabitis. Cordis arteriarum-

que nunc *motum* explorate! et istum, utplurimùm *vegetum* satis, ac normali *lentiorem*, — aliquando vero nec robore, nec frequentia auctum, reperietis. Certi nunc eritis, nec in *lipothymia* aegrum haerere: quod nempe in ista, tum respirationis, tum cordis functio minima observetur; nec *asphyxiam*, in qua, scilicet, singula vitae superstitis indicia desiderantur, adesse dicetis; sed de *somno profundo* dubia vos prement. Quodsi tamen, nec somnum, quasi lethargicum, huic homini, dum sanus esset, proprium fuisse, nec insolitae defatigationem longamque a somno abstinentiam, nec ebrietatem, sub qua vinum, aut spiritum hujus oleret, in eodem praecessisse audiveritis, simulque neminem, quasi fulminatum, profundissimum in somnum praecipitari, consideraveritis; disparebunt omnino haec dubia. Accedit et istud: quod *palpebrae*, nunc clausae, nunc vero suspensae sint; quod istis, arte adpertis, oculorum *pupilla*, ultra, quam par est, *dilatata* adpareat; nec a lucis in eandem actione, sequatur ejusdem contractio. Semiadperti subinde apoplecticorum sunt

oculi; sed quasi mactatis in animalibus, convulsi et adeo, ut nonnisi album eorum in conspectum veniat, distorti se habent. Praeterea, aliqua saltem dormientibus membrorum est compositio; apoplecticis vero nulla, quae non a pondere corporis solo explicetur, superest. Elevatis sub somno artubus, hi, sibi commissi, cadunt quidem; sed aliqua saltem dormientibus, ad quemvis articulum, elasticitas, minorque illorum est gravitas. Atqui hanc ultimam, in parte una, superesse quidem, in altera vero, *flaccida* singula et pendentia, resoluta esse, deprehendetis. In faciem attenti, in dormiente etiam homine eandem quidem magis rubere novimus; sed in apoplectico, aut ex livido rubra et turgidior, latior, aut pallida etiam magis, ea adparet. Buccis, apoplectici, magis, quam ore, respirare videntur; illae enim, si os clausum habeant, ab aere in sacci aut veli formam prius dilatatae, eundem tandem, sine omni reactione, sub aliquo labiorum, sonante quasi, tremore, exire sinunt. Vel ore hiante, aut et spumâ simul obtecto, respirant. Genae vero, aut musculi faciales, fere

semper inaequaliter tensi sunt: ut angulu oris unus, eoquod paralysis unius lateris musculos in facie jam occupet, ac saniores alterius lateris musculi antagonistae, contracti, tumiduli, illis praevaleant, altero superior sit. Palpebra ejusdem lateris paralytici, pendula est. Haud pauci apoplectici ac dimidii corporis latere jam resoluti, manum, quae adhuc intacta superest, ad capitis partem, semper eandem, attollunt. Nonnullis vomitus frequens ac violentus accedit. Aliis, aut venae jugulares turgent; aut vero arteriae carotides; temporales, fortiter pulsant; aliis, dum corruunt, et stercus et urina sponte effluunt; aliis, urina nulla amplius hoc modo excernitur; sed vesicam praeter ordinem replet, ac versùs umbilicum extendit. Huic ipsi vero *urinarum retentioni*; earundem haud raro jungitur *incontinentia*. Saepius vero, dum sic, in uno latere corporis observamus fieri aut adesse *paralysin:* in altero *motus convulsivos* subintrare conspicimus; atque haec aliquamdiu sic perstant, antequam universum sensu motuque privetur. Motûs voluntarii *majorem modo ad partem* in apoplexia exquisita abolitio-

nem subesse, non sine ratione diximus. Haud raro nempe, hoc malo prehensos, vel brachium, vel crus unum ad se traxisse, movisse, dum alterum manifeste paralyticum flaccidumque jaceret, vidimus. Nec sphyncterum omnium officia semper hìc delcta observavimus. „Quidam apoplecticorum deglutiunt; alii minime; alvum multi vel suapte, vel arte habent; urinam mittunt non pauci." Clysteres, multis quidem, vix injecti, mox effluunt; ab aliis interim retinentur diutius. Sicut vero celebris, ac noster quondam in clinico *Vindobonensium* instituto antecessor: ita et nos „apoplecticorum quosdam *statim febricitare*, alios febrim paulo serius adquirère," alios vero ulla absque febre mansisse vidimus. Sic in plurimis, saepe in tertium, vel quartum, aliquando usque in septimum, sub somno semper profundiore magisque stertoroso, morbus protrahitur.

Qui sub tali rerum conditione mortem effugiunt, his redit sensim quaedam certarum partium sensibilitas et aliquis motus. Excitatus tunc aeger, oculos quidem hic adperit, ingemiscit, intelligere quaedam videtur; mox vero palpebrae iterum conci-

dunt, soporque, etsi tunc minus profundus, haud semper tacitis absque deliriis, continuat. *Linguam* exserere repetitò jussus, eandem aeger, musculis illius una ex parte resolutis, *obliquam* ac tremulam porrigit. Si ori quidquam instillari tentetur: pars quidem aliqua ex eodem mox iterum effluit; altera sat aegre descendit ac, ob pharyngis paresin, glottidis rimam subintrat, et periculosam aegro tussim excitat. Ast vero nunc aeger expergiscens, et reliquias morbi flebilissimi, paralysin nempe brachii, saepe et cruris, hemiplegiam, rarius paraplegiam, in se ipso animadvertens, hanc sui positionem deplorat. Haud raro eidem hebetudo, et quasi infantilis facilitas in lacrymas, sub magno morbi recidivi periculo, adhaerent.

Paralysis. Ad generalem vero paralysis historiam potissime spectat: quod, licet haud alii nervi, qui *motui*, — alii; qui *sensui* praesint, existant, „interdum nihilominus (ut antiqui medici *Cappadocis* expressione utamur) *motionis* aut tactûs, aut *utriusque* defectus sit, interdum et *mentis* et reliquorum sensuum, — frequentissime sensus, ablato motu, remaneat." Aliqua hujus naturae

exempla jam supra retulimus, et plura ex nostris his addi, quod similia jam alii retulerint, superfluum foret. Quod vero *utraque* paralysis *species*, in diversis ejusdem hominis partibus locum habuerit, ut fasti medici docuerunt, hoc rarius est. Nec etiam tam quotidianum phoenomenon est, quod tamen, cum aliis, pluries et nos observavimus, quod scilicet partes, *motu* quocunque jam diu spoliatae, longe *acutiorem*, quam ante paralysin, *sensum* accusaverint. Motu partis sideratae conservato, solum sensum abfuisse, quod genus vitii, *anaesthesiam* plures vocarunt, Academiae Scientiarum *Parisiensis* historiae testantur. Paralysin musculorum dextri brachii et pedis, cum sensu acutissimo, — sinistri vero lateris mobilitatem, absque sensu, integram, Acta Naturae Curiosorum describunt. Paralysin cum sensûs et motûs jactura, ex colica haemorrhoidali, observavit celebris quondam, *Hannoveranorum* medicus: cum interim aeger, vel *pulicis morsum*, vel *sabuli granum*, molestissime resolutis his in partibus perferret. Est adeo, ubi paralysis, vel paucas modo per horas, vel per nychthemeri spatium, hominis partem teneat; po-

stea vero eandem prorsus derelinquat. Sic vidimus virum literatum, qui dum pondus sat magnum ambobus brachiis per aliquod tempus sustinuisset: subito brachii dextri paralysin passus; sed altera jam die ab ista liberatus fuit. Quare jam antiquus *Graeciae* medicus, paralysis genus commemorat, quod *paradoxon* adpellat: „quo (scilicet) ambulantes repente sistuntur, ut ambulare non possint; et tum rursus ambulare sinuntur." Quin vero hos tam physiologiae, quam pathologiae nodos solvere contendamus; hoc saltem ex istis, — scilicet, posse unam ex his musculi qualitatibus perire, superstite altera, et hoc quidem ex solius nervi, musculum adeuntis, culpa, concludimus; nec ideo cum celebri *Scotiae* nosologo, paralysin dicemus, „motuum (modo) *voluntariorum* abolitionem constituere: cum et illae fibrae musculares, quae voluntati minime subjectae sunt, subinde, licet rarius, paralysi subordinentur. Egregie hinc jam celebris *Cappadociae*, vix citatus, scriptor:" Ego sane, inquit, stomachum etiam et intestina, et vesicam, oblongumque intestinum usque ad principium, id est, anum, idem vitium (resolutionem) pati existimo;

sed interiora viscera latent obscuraque sunt." — „Et *pupillae* id vitium sustinet, et in amplitudinem diffunditur. Opponitur hic morbus μυρίασι." Tam ex brevi solis, quam ex longiore nivis adspectu, oculi, qui voluntati haud obediunt, coecutiunt; nec rara surditatis, quae milites, tormentorum bellicorum diuturnae explosioni vicinos prehendit, exempla sunt. Certe *cor* ipsum, in *asphycticis*, paralysi per horas, quidquod per dies aliquot, laborat; et *pulmones*, catarrhi suffocativi inepto sub nomine, similia interdum patiuntur.

De *uteri* fibris muscularibus quidem, — haud vero de visceris hujus, a partu celeriter nimis absoluto, aliisque a causis male tracti, resolutione satis frequente, sub judice lis est. Arteriarum quidem pulsationes in parte paralytica, a normali, ex eo, quod illae e longinquo ad hanc veniant suosque nervos aliunde habeant, saepe vix aberrant; est tamen, ubi et partis resolutae arteriae pulsationes inaequales edant; ac ubi partis illius aucta indies macies, tabes, calorque imminutus, non solorum nervorum, sed cruoris quoque in eam de influxu infracto, aut saltem morboso testatur.

Hemiplegia.

Quae vero physiologi plures *de homine dimidiato*, seu ex partibus duabus inter se coadunatis, docuerunt: ea, sicut in *ictero* aliquando observatum fuisse jam retulimus; ita et in *hemiplegia*, vel dimidii, a capite ad calcem, lateris paralysi, adeo, ut ea vel ipsas nares bipartiat, confirmantur. Omne autem partis paralyticae cum cerebro ac medulla spinali commercium adeo in multis abolitum est: ut foemina, quam anno 1797 in clinico instituto *Vindobonensi* curavimus, nec brachium, nec crus paralytica, *pro suis* agnoverit. Quamprimùm vero motus in crure rediverat: *suum* hoc esse, — de brachio, non idem, donec dolor in isto (etsi motu necdum restituto) rediret, fassa est. Egregie igitur antiquus *Capadociae*, quem saepius laudavimus, medicus: „Non tantum, inquit, quae distantia sunt, et quae eodem censentur nomine conjugataque sunt, resolvuntur, ut nares usque ad medium, et lingua usque ad fines, qui in ipsa media positâ sunt: nunc tonsilla et isthmus, ipsaque gula dimidia resolvitur. — Proinde mihi et membra dimidia pati videntur, in duas partes a morbo diducta." Quibusdam

paralyticis *loquela* ita praescinditur, ut praeter verbum unum vel alterum, pro re quacunque vel nominanda, vel expetenda, nullum aliud exprimere queant. Sic in thermis *Bado-Badensibus*, jam anno 1768, sacram virginem, quadragenariam, paralysi detentam, curavimus, quae, excepto *Salvatoris* nomine, etsi aliter contenderet, nullum pronunciare potuit. Sic *Georgiae*, ad Caucasum, princeps, anno 1790, febre, primùm intermittente, deinde continua cum lethargo affectus, dum crisis morbi instare videbatur, ex inopinato tormentorum bellicorum fragore, in lateris dextri hemiplegiam conjectus fuit. Ad hunc aegrum, quinquagenarium, *Petropolim* conductum, anno 1807, pro consilio medico accersiti, eundem, non omni quidem, brachium quidquam movendi, et claudicando incedendi facultate destitutum vidimus; sed alias syllabas, nisi *da* et *na*, sub quocunque conatu, lingua hujus miseri proferre haud potuit. Quod vero haec paralyticorum quorundam loquendi impotentia, haud semper ex fibrarum lingualium resolutione, sed *ex memoriae* apud quosdam *jactura* descendat, viri *Vindobonensis*, post apople-

xiam loquela, ut credebant, privati, exemplo, ab experto hujus metropolis medico nobis amice communicato, docemur: ut qui aeger paralyticus, verborum omnium oblitus, obmutuit quidem; sed amici epistolam, non modo, tacite legens, intelligere, sed verbum istius quodvis distincte exprimere potuit. Quamvis autem a paralysi, ab hemiplegia restituti; longiorem tamen per moram, partis, tanto a morbo labefactatae, quandam adhuc inertiam, vel alia ejusdem incommoda, persentiunt. Sic pictor *Brisgovio-Friburgensis*, ab hemiplegia liberatus, eo ipso, quod paralyticum fuerat, in corporis latere, dentes, sub masticatione ciborum, sibi quasi longiores esse, diu persensit.

Paraplegia. *Paraplegiae, paraplexiae* sub nomine, antiquitas, mox paralysin quamvis, mox hemiplegiam, intellexit; nec recentiores hac de re magis inter se conveniunt: cum aliqui, mediam, a dorso aut lumbis, ad calcem usque, resolutionem, — plurimi, non tamen majore ideo jure, ubi, salvo capite, totum corpus torpet, *paraplegiam* adpellant. Paralysis igitur gradus, a collo, ad pedes extensus, et nobis paraplegiam con-

stituet. Praeter *duo* tamen summae hujus paralysis exempla, in longissimo artis exercitio, nulla nos ipsi, et quidem sub itinere constituti, hinc, pro sollicita *observatione*, per brevem nimis temporis moram, habuimus. Ac primum quidem ex istis, mediae aetatis mulier, multis retro ab annis *epileptica*, jam vero, praeter rationem cognitam, paraplegiâ laborans, anno 1786, in nosodochio incurabilium, quod, prope *Ticinum*, in loco *Abbiate-grasso* exstructum est, nobis se obtulit. Epilepsia, huic paraplegiae subinde adhuc superaccedere, sed solius in capitis et partim in juguli, hinc illinc distractorum, concussorum, minime vero in coeteris corporis musculis, ut pridem, manifestari solebat. Alterum paraplegiae specimen, in feudis, quondam Imperialibus, *Italiae* et loco *Pallavicini*, mense augusti 1792, conspeximus. Foemina nempe 28 annorum, ante duos cum dimidio menses, in *collum* tam ruditer incidit: ut, quasi quid rupti in illo percipiens, mox omni sensu privata fuerit. Cum post aliquod tempus ad se redivisset foemina, sensus eidem et motus omnis, infra caput, ubique disparuerant; loqui tamen illa perfecte

poterat. Alvum, primos quindecim per dies minime excrevit; urinae insciâ aegra profluxerunt; pulsus exigui, contracti fuerunt. Post aliquod tempus, haec paraplegia, in lateris *dextri* hemiplegiam mutata fuit, vidimusque tam brachium, quam crus *sinistrum*, libere moveri. Saepius aegra, summi frigoris, frequenter caloris urentis et formicationis sensum habuit, ac interdum convulsa fuit. Cum vero, quo tempore ex alto ceciderat mulier, ea adhuc puerpera, et plurimo lacte in mammis instructa fuisset: hujus secretio liquoris illico suspensa fuit. Ad nucham, nunc, dolor nullus est, et caput movetur liberrime; sed in medio columnae vertebralis, dolor fixus percipitur. Tumor genu *sinistri* albescens, in quo, summi frigoris sensum aegra accusat, natus est. In celebris nostri, *Vindobonensi* in clinico, antecessoris primo de „ratione medendi" volumine: paraplegiae letalis, cum sphacelo viscerum, praesertim vesicae, exemplum narratur.

Ex hac brevi eorum, quae tam in *apoplexia*, quam in *paralysi* observantur, expositione, utrumque inter morbum, non aliam, nisi sedis causarum, et extensionis

effectuum, differentiam intercedere, elucet. Quocunque igitur, vel *apoplexiae*, vel *paralysis* nomine utamur: easdem vel *capitalem*, vel *spinalem*, vel *propaginum* ex istis *nervosarum* adfectionem, diversis quidem symptomatis stipatam esse, sed in eo, quod sensum et motum partium, quibus aut cerebrum, aut medulla spinalis, aut utriusque propagines, vitalitatis ignotum principium communicant, supprimat, vel deleat, conspirare dicemus.

Apoplex. paralysis causae.

§. 959. Principii vitalis satellites, nervorum sensibilitatem fibraeque muscularis irritabilitatem, percipimus quidem; quod vero hos regit, sidus divinum, hoc ipsum a natura, mortalium oculis consulte subtrahitur. Suspendatur pro tempore, quamcunque denique per causam, istius principii, in partis cujusdam aut nervos, aut fibras motrices influxus! et *anaesthesia*, *paresis*, *apoplexia*, *paralysis*, aut *asphyxia*, istam corripiet; — auferatur hic influxus in totum! et *mortis* haec pars ipsius praedam constituet. Funesto successu, cum *apoplexiae* idea, *compressionis* quoque *mechanicae* in cerebrum illam, diu nimis combinavimus; experientia interim,

adperto attonitorum, post obitum, cranio, haud raro: „acsi ipsa cum anima, mortis occasio simul avolasset," nihil repertum fuisse, docuit. Sub *apoplexiae* in *idiopathicam* et *symptomaticam* divisione, illa nosologorum longe simpliciore, species morbi illius singulas comprehendi diximus (§. 957.); nec de *paralysis*, respectu suae originis, divisione aliter sentimus. Utrique scilicet distributioni istarum, aut *vitium locale, organicum*, aut *culpa totius systematis*, eaque nunc ex *hypersthenia*, nunc ex *adynamia*, nunc ex constitutionibus morbosis, tam locali, quam universali, invicem complicatis, oriunda, pro fundamento sunt. Qua vero ratione paralysin *tripartitam*, illam nempe, quae vel ex *cerebri*, vel ex *medullae spinalis*, vel ex *propaginum nervosarum* ex istis, adfectione morbosa oritur, descripsimus (§.958.): câ ipsa quoque diversas unius ejusdemque morbi scaturgines, nunc *in cranii*, nunc *vertebrarum in cavis*, nunc vero ipsis in *nervis*, qui partes corporis alias adeunt ac animant, quaeremus. Etsi vero apoplexia haud raro vel *congestionis cruentae*, vel ipsius *haemorrhagiae* in cranio effec-

tus sit, atque tam una, ex istis, quam altera, vel a nimio sanguinis ad vasa cerebri adfluxu, vel ab ejusdem liquoris impedito ex istis regressu proveniat; non tamen ea idcirco, ut ex sequentibus patebit, quod vix citatus *Galliae* scriptor defendere conatur, hoc solo e fonte scaturit. Sunt, qui *cerebrum praevie emollitum*, pro causa apoplexiae proxima declaraverint. Nos ipsi hunc cerebri statum morbosum vidimus, ac in tractatu de *encephalitide*, sub *sphacelismi cerebri*, hippocratico nomine, descripsimus (§. 142.). Etsi vero hunc cerebri morbum organicum, sicut encephalitidem, ita et apoplexiam; in casu rariore praecessisse, negare nolimus; in plurimis tamen ex apoplexia defunctis, cerebralis subsantia, non adeo mollior, quam potius normali *durior* reperta fuit. In vicinia grumi sanguinis, ac seri, apoplecticorum in cerebro, aut ejusdem in ventriculis haerentium, hoc ipsum viscus, ubi sectio cadaverum, unam alteramve per diem, a morte, ut justum est, differtur, *mollescere*, haud sane mirum esse dicemus.

Vitium haereditarium.

Ad apoplexiae (paralysis cephalicae) *idiopathicae causas* quod spectat, eae partim experientiâ magis, quam suae indolis ratione, cognitae sunt. Ac primum quidem apoplexiae *haereditariae* mentionem hìc faciemus. Non paucas familias dari, in quibus apoplexia longe frequentior, quam in aliis, morbus sit, tam aliorum, quam propria experientia nimis docemur. Quin ullum tanti morbi signum edidisset, vir nobilis, sub media collocutione dilecto cum filio, post acutam de cephalaea subitanea exclamationem, unius minuti spatio, apoplecticus simulque inanimis corruit. Hic ipse vero filius, jam senex, quidem, sed adspectu sanissimus atque hilaris, *Vindobonae* a. 1802, paucarum horarum tempore, eodem a morbo correptus, animam reddidit. Frater istius, ex apoplexia jam diu hemiplegicus, periit. Illustris quondam in *Gallia* familia, ex patre ejusque fratre, in pronepotes, non pauciora, ut legimus, quam *octo* ex apoplexia funera exhibuit. In quo, vitium istud *haereditarium* consistat? nisi hypotheses vel inutiles, vel noxias condere velimus; nihil quod sano judicio satisfaciat, respondendum habemus.

Apoplexiam cuivis metropoli, aut urbi, civibus cujusvis ordinis refertae, vix non *endemiam* esse, jam diximus (§. 955.). Cum interim et animi pathemata, et crapula, et opulentia non minus, quam egestas summa, et desidia, et morum dissolutio, haec loca magis, ac alia, simul inhabitent; non *soli*, sed istorum potius influxui, hunc cerebri morbum, illis in locis frequentiorem, adscribi liceret. Gravis interim scriptor „de morbis ab aqua seu serosa colluvie et diluvie ortis": „solum *Lotharingicum*, refert, feracissimum esse hujusmodi morborum, raraque, inquit, sunt oppida, seu urbes, in quibus hiems, circa insignes mutationes tempestatum, non aliquot e civibus percutiat et prosternat ex improviso." Hos tamen *tempestatis iniquae* effectus, ab illis *soli*, probe distingui oportet; et jam ipse *Hippocrates*, certis temporibus, imprimis hiemali ac humido, apoplexias frequentius conspici, monuit. Tempore saltem verno et autumnali, sicut sub extremis aestatis caloribus, plerumque apoplecticorum numerus ubique major est; ac certis in annis, quin igitur sola tempestatis ratio hoc- Endemicum? epidemicum.

ce phoenomenon explicet, augetur; ac maxime in locis *Italiae* paludosis, ubi solis sub aestu diurno ac noctibus subfrigidis, *febris intermittens, perniciosa apoplectica* haud raro saevit, duplicatur fere ac, *epidemicae constitutionis* in modum, grassatur hic morbus. Per omnem fere *Italiam* hiemali tempore, ab anno 1694, ad a. 1695, apoplexia regnavit. Similia *Berolini* atque *Breslaviae*, annis 1700, 1701, observata fuerunt. Ob aestatem anni 1807 calidiorem, tam in *Italia*, quam in *Rossia*, apoplexia prae aliis annis saeviit.

Apopl. idiopathicae causae,

Apoplexiae *idiopathicae*, tum hypersthenicae tum adynamicae causae dividi queunt, *primò*, in illas, quae vasorum cranii internorum, cerebri, oppletionem, *cruoris* in illis *congestionem*, irritationem, inflammationem, secretiones pathologicas, *colluviem serosam, haemorrhagias*, concretiones, tumores, laesiones organicas, — in genere, *medullae cerebralis compressionem*, inducunt. Sic apoplexiam in cane, vel in alio animali sanissimo, excitare poteritis, si trepano sat largam calvariae partem auferatis: prout nempe tunc cerebrum, digito, plus minus com-

primatur, sequitur somnus, nunc moderatus, nunc vero profundior; ac ubi continuatur vel augetur pressio: apoplexia, cum partis, cujus nervi, cum hac cerebri, ita compressi, parte correspondent, paralysi, nascitur. — *Secundò*, in illas, quae *sine compressione*, vel stimulo inimico, *cerebro* nunc ipsi, nunc *expansioni* ejusdem, per corpus, *nervosae* illato, vel inanitione vel modo hucusque incognito, visceris illius vitalis functiones, nunc modo suspendunt, nunc fato irrevocabili supprimunt. Causarum utriusque ordinis catalogus immensus, et ex pathologia generali jam notus est. Potiores igitur ex illis, per exempla tam aliorum, quam propria hìc illustrasse, coeterarum ad intellectum sufficiet.

Jam *Hippocrates*: „si venae in caput supervomuerint (sanguinem), inquit, dolor brevis totum caput detinet, et ad cervicem interdumque ad alias partes transmittit, deinde ubi surrexerit, eum tenebricosa vertigo occupat, febris autem non prehendit." Posterior *Graeciae* medicus, de *catocha* et *catalepsi*: „quandoque, inquit, ob sanguinis multitudinem, confertim caput occupantis, et ipsum superimplentis, fit haec Sanguineae.

affectio: quemadmodum vidimus in adolescente quodam, multo sanguine referto, qui cum triduum exegisset, neque claudens palpebras, neque ad vehementes vociferationes transmovens oculos, neque respondens, quarta die, sanguinis eruptione larga per nares facta, ab omnibus molestiis confestim liberatus est." Sic juvenis torosi, athletici et laute viventis exemplum refert illustris *Galliae* quondam „historiae anatomico-medicae" scriptor, qui juvenis, „dum statim a prandio sese incurvasset, derepente corruit, motuque privatus, nonnihil etiam convulsus, intra horas quindecim animam efflavit. Adperto cranio, reperiebatur sanguinis nigerrimi ingens copia a diffractis carotidibus et vertebralibus, illaesis cerebri ventriculis. Sic in „sepulchreto anatomico", puellae 20 annorum, apoplexia exstinctae exemplum refertur. Haec virgo, postquam diuturna hemicrania ad sinistram capitis partem laborasset, quae tempore menstruorum augebatur, et caput involuntarie ad sinistrum latus distrahebat, post mortem obtulit vasa durae matris, fere crassitudinem minimi digiti habentia, varicosa et nigra. Cerebrum erat lividi

coloris; ipsa dura mater erat valde crassa, imprimis ad basin cerebri, ubi venae etiam turgebant. Alia mortis causa non fuit detecta. Juvenis casum, Academiae *Suecicae* Acta a. 1757 conservarunt: ut qui adolescens, cum caput, conorum ludo intentus, profundius teneret, jugulo insimul collari constricto, apoplectice concidit quidem hoc tamen a malo, relaxato collari, ac venae sectionis auxilio, liberatus fuit. Sic celebris archiater quondam caesareus, de eximia cantatrice narrat, quae suavissimo vocis modulamine acutos admodum sonos diutissime protrahere noverat: „ast vero tunc, inquit, vidimus evidenter turgere omnia capitis vasa quammaxime. Cum autem frequenter sic distracta fuerunt, haec vasa eousque debilitata fuerunt: ut postea, dum vel moliretur acutos illos sonos proferre, illico vertigine corriperetur, et caderet, nisi cessaret statim." Sic venator *Spirensis*, vir quinquagenarius, robustus et athleticus, sub equitatione ad silvas, alta voce exclamans, servi auxilium invocat, ejusque subvenientis in brachia, jam inanimis, ex equo incidit. Cadaver a nobis *Bruchsaliae* adpertum, san-

guinem quamplurimum in laterales cerebri ventriculos effusum, cum septi istorum lucidi ipsiusque substantiae corticalis laceratione late extensa, nobis obtulit.

Similia nobis in pluribus eorum, qui a prima apoplexiae invasione, quasi a fulmine percussi, perierunt, cadaveribus conspeximus, ut igitur celebris „de anatomia generali" scriptoris *Galli* assertionem, sub injectionibus vasorum cerebri anatomicis, se nullum unquam ex his vasis *diruptum* vidisse, miremur. Aliter certe summus *Italiae*, „de sedibus et causis morborum" scriptor, qui plura apoplecticorum exempla refert, ex quibus apparet: „sanguinem in apoplecticorum calvariis, utplurimum quidem aut in corpore striato, aut in thalamo nervi optici, aut in utroque, aut juxta alterutrum, aut etiam utrumque et tunc quoque *non raro cum utriusque, aut alterutrius, perforatione, et dilaceratione* effusum, et in caveis vel naturalibus, vel vi aut acrimonia formatis effusum fuisse." Similia nos quoque in pluribus apoplecticorum calvariis reperimus; atque celebris quondam *Berolinensium* anatomicus, „si venae cerebri extensae jam dudum, inquit, scin-

duntur; *scissura in plexu choroideo plerumque*, refertis sanguine ventriculis, *nascitur*." Potator nobilis *Spirensis*, pridie sanissimus, post magnam crapulam, altero mane, *Bruchsaliae* mortuus, et quidem ita conspectus fuit: ut dimidio fere et superiore corpore, e lecto, in cubiculi solum profunde conversus inclinaretur, quam in positionem a crapula conjectus, cum relevare caput a solo non potuisset, apoplectice, ac hominis suspensi instar, facie lividus, et sanguine tam ore, quam naribus effuso, spumoso, conspurcatus, periit. Sic plures jam homines, imprimis crassi ac pingues, dum capite ad anteriora nutante, diutius ad focum obdormivissent, ut jam egregius quondam *Lotharingiae*, „de colluvie serosa" scriptor exemplum adduxit, facie rubra et livida, corruerunt apoplectici. Sic saepe nimis milites, dum calvaria, pileo metallico et gravi obtecta, laborioso et longo sub itinere, castra movent, — sic agricultores, tempore messium, solis radiis urentibus, plures per horas capite percussi, attoniti concidunt. Sic erysipelas faciei et integumentorum capitis, interiora versùs propagatum, prout pluribus jam diximus

T 2

(§§. 281., 289. 779.), lethargi, aut siderationis sub forma, hominem enecat. Sic foetûs calvaria adhuc tenera, dum ipsa in pelvi materna, per horas et dies, cunei in modum, impacta haeret, vel dum obstetricantis a forcibus ruditer nimis comprimitur, vel dum funiculus umbilicalis, collum foetûs, funis adinstar, circumdederit ac strinxerit, letalem haud raro violentiam patitur. Similia infantibus, per casum super frontem, vel occiput, — adultis per concussionem, contusionem, fracturam calvariae, per lamellam istius vitream, cerebro, cerebello impressam, per ejusdem exostoses, contingunt. Sic *Bruchsaliae*, a. 1773, in milite ex apoplexia subitanea defuncto, ossis petrosi sinistri exostosin, nucis juglandis magnitudine praeditam, quin alia mortis hujus inopinatae causa pateret, deteximus. In aliorum, eodem a morbo enectorum, calvaria et cerebro, tumores, concretiones variae indolis, calculi, polypi (qui tamen ultimi, saepius a morte jam secuta generantur) reperti fuerunt. In pluribus apoplecticis senibus, illustris „de sedibus et causis morborum" scriptor, tunicas offendit non in uno loco ab ossibus innatis fru-

stulis rigidas, praesertim carotidum, ubi ad latera sellae equinae tantopere se inflectunt. Per frigus intensum, tam atmosphaericum, quam febrile, sanguis, interiora et maxime calvariam versùs urgetur. Sic mense februarii a. 1784, terra nivibus undique obtecta, et frigore magno, vir juvenis, tunc ebrius, in fossam, nivibus oppletam, capite praevio, incidit, ac vita privatus, altera die *Bruchsaliam* transvectus fuit. Cadaver, a gelu rigidissimum; illius facies, tam suffocationis, quam frigoris actione, roseo, ad nares ac labra, colore notata. Post varia incassum tentata subsidia, sectio anatomica, vasa cutis a calvaria separatae, sanguine plena ostendit. Calvariâ adperta, vasa omnia, tam durae matris, quam cerebri, sanguine atro turgebant; pulmones, a cruore simili oppleta erant.

Apoplecticorum cadavera plurima, *serum* in calvaria et cerebro collectum, vel pituitam, vel hydatides, pseudomembranas, ostendunt. „Lethargum, inquit celebris quondam *Angliae* de hoc mòrbo scriptor, a serosa colluvie cerebri anfractus exteriores irruente ejusque poros et meatus corticales subeunte, interdum oriri, observatione ana- Apoplexia serosa.

tomica saepius comprobatum vidi: in multis enim ab hoc morbo defunctis, plicarum cerebri interstitia, aqua limpida repleta, quin extimam ejus substantiam a nimio madore mollem et minus firmam insuper in nonnullis cavitates interiores lympha turgentes et totius cerebri compagem hydrope, seu potius diluvio inundatam reperi." Similia tam alii referunt, quam nos ipsi saepius deteximus; et quae de *encephalitide* (§. 142.) atque de hydrocephalo, tam acuto, quam chronico (§. 737.), diximus, haec satis illustrant.

Cum vero, *primò*, plura et aliis, et nobis exempla *hydrocephali chronici* apud infantes occurrerint, in quibus, vel pluribus aquarum, encephalo collectarum a libris, apoplexia tamen non modo per annos haud paucos nequaquam secuta est; sed in quibus functiones adeo mentales non omnes abolitae fuerint; — cum etiam post alios morbos, tandem letales, quin tamen *apoplexiam* induxerint, aquae in cerebro latuerint; cum saepe ex maximis cranii fracturis et intropressionibus nec apoplexia, nec deliria sequantur, quin tamen negare quis posset, hanc causam saepius apople-

xiam inducere; cum nos ipsi, anno 1766; lanionem robustissimum viderimus, qui, ex rupe, altissima, profundam in vallem praecipitatus fuerat, et capite adeo in saxa illidit, ut non modo auris sinistrae, concha, cum tegminibus calvariae, super humeros penderet; sed ipsum quoque cranium in octo fragmenta desilierit, quum interim, novem vitae reliquae per dies, si ultimas horas excipias, delirium subintrasset; cum, *secundò*, in aliis, post morbum attonitum letalem, quem *seri*, in calvaria, vel cerebro stagnationi, medici adscripserunt, saepe modo tantillum, aut saltem haud multum laticis aquosi detectum fuerit; — cum, *tertiò*, multorum calvariae apoplecticorum, a morte, quam vel cruoris, vel seri stagnationi, medici attribuerant, nec minimum quid morbosi manifestaverint; duce magno *Galliae* quondam chirurgo, conspicui in arte medendi scriptores concluserunt: nec *seri*, nec *sanguinis*, in calvaria collectioni, apoplexiam adscribi debere; sed quidquid istorum, a morte, in cerebro compareat, id *effectui* magis quam *causae*, tribuendum esse. Alii, ne (*Germanorum* proverbio) prolem, ipso cum

balneo effunderent, seri, etiam pauci, in cerebris apoplecticorum reperti, *acredinem*, mortis inductae adcusarunt.

Ac primas quidem ex his objectionibus, haud esse insolubiles, fatebitur ille, qui alios, a *lenta*, — alios, a *celeriore* seri collectione, compressione, in cerebrum effectus esse, vel ex ipsis *encephalitidis hydrocephalique* phoenomenis (§§. 142. 737.) perspexerit; qua certe ratione, ne omnis morbus, qui, aegri post obitum, vel serum, vel cruorem, in cerebro tuentibus offert, *apoplexiae*, aut *serosae*, aut *sanguineae*, nomine salutetur, cavendum est. Multoties, scilicet, cerebri conditio, apoplexiae insultu longe *anterior*, et vel *debilitati*, vel *sensibilitati nimiae* encephali, totius systematis, vel aliis, incognitis prorsus, causis innixa, ut sub sanguinis aestu haud adeo magno, aut a spasmis a capite longinquis, praecipue abdominalibus, a saburris copiosis, a vermibus, ab utero gravido, ab aliis rationibus inductis, sanguis ad caput majore, quam vasa ferant, impulsu urgeatur, et ut hac demum a causa, vel secretio morbosa, vel cruoris congestio, profluvium, nascantur, occas-

sionem suppeditat, ac *nervosae* potius, aut *praecordialis apoplexiae* titulum sibi exigit; quin tamen hoc ideo impediat, ne principalis morbi attoniti causa saepius, quod supra ostendimus, in sanguinis congestione, profluvio, vel in seri, morbose secreti, collectione celeriore, iisque nunc hypersthenicis, nunc vero adynamicis, consistat. Testatur hinc celebris „de sedibus et causis morborum" scriptor: „In cerebro apoplexiâ serosa mortuorum, praeter serum, visa quandoque fuisse vasa cerebri sanguine turgida, quae, quod pauca saepe aqua ibidem nondum fecisset, compresionem cerebri letalem facere visa sint."

Apoplex. Symptom. causae.

Etsi vero congestio, aut effusio sanguinis, vel seri in cranio, frequentem apoplexiarum causam constituant; saepius tamen princeps illarum scaturigo longe a capite distat. Ac *primó* quidem, tum ea, quae profluvia cruenta, serosa, vel normalia, vel habitualia, imminuunt, suspendunt, iisque humoribus, alibi effluere, secerni solitis, capitis vasa infarciunt, distendunt, dirumpunt, aut ad secretiones pathologicas perducunt, hùc spectant: ut quorsum illa, quae de menstruorum, lo-

chiorum, haemorrhoidum, epistaxis, de praepostera sudorum ad axillas, ad pedes, vel impetiginum, ulcerum sanatione diximus, revocanda sunt; tum ea, quae distributionem sanguinis normalem, per vasa trunci aut artuum majora, vel per nimium adipem, per uterum summe extensum, tumores varios, per viscerum obstructiones, per aquas, abdominis, pectoris in cavis collectas, per collaria, thoraces, vestimenta arctiora, compressa; vel per amputationem ablata, per spasmos hystericos, hypochondriacos, vel a vermium irritatione productos, per insultus epilepticos, coitum violentum, impediunt; tum illa, quae cruorem, per corporis incurvationem, positionem inversam, per incandescentiam, terrorem animi violentum, per spirituosa, narcotica, per somnos, a pastu lautiore longiores, per odores, vapores, ad caput adliciunt, pertinent; — *secundò* illa, quae cruoris a capite reditum, ut quondam de thyreophymate (§§. 799. 809.), de peripneumonia (§§. 186. 190.), retulimus, difficiliorem reddunt; huc etiam faciunt: dyspnoea, orthopnoea chronica, asthmata, tussis violenta, clamor, oratio, cantus,

cachinnus longior, instrumentorum per flatum tractatio, nixus ad pondus grave elevandum, gerendum, ad partum, ad alvum sicciorem deponendam, vehementior; — *tertiò*, ea, quae necessarium cerebro sanguinem subtrahunt, et vires vitales exhauriunt, vel excedentem per stimulum opprimunt. Hùc igitur revocabuntur: haemorrhagiae abundantes, vel subitaneae, nutritionis, a diuturna inedia, a laboribus mentis aut corporis strenuioribus, a morbis praegressis, praeatrophia, febre lenta, scorbuto, sphacelo, summo a frigore, a copiosis evacuationibus, maxime seminis, a curis, moestitia, timore, defectus, summa cerebri per animi pathemata violentiora, per iram effrenem, per subitaneum terrorem, vel inexspectatum ac immoderatum per gaudium, agitatio, vel istius per arthritidem, podagram aberrantem, per metastasin, per febrem perniciosam, intermittentem irritatio, deleterius, nec tamen satis intellectus, fulminis effectus etc.

§. 960. Non tamen ex sola eorum, quae apoplecticorum in craniis reperta fuerunt, consideratione, qualis illorum sub vita, morbi character fuerit, evincitur; atque si **Diagnosis specierum.**

vel a principio hujus dirae adfectionis, aut *sanguinem*, aut *serum* in cerebro effusum, retentum fuisse nossemus; cum morborum istorum genus, diversas inter se causas agnoscat (§§. 466. 571. 573. 698. 859.), nec minor utrisque medendi differentia sit (§§. 468. 575.), non igitur major, ex illis faciendorum resultaret cognitio; ac recepta in scholis, apoplexiarum, in *sanguineas*, et in *serosas* divisio, nisi aegris magis interitum, — utilitatis saltem nihil attulit. Vel idiopathica, vel symptomatica sit apoplexiae indoles; excepta hujus ultimae, quae ex *inanitione* oritur, specie, et quae *asphyxiae* saepius, quam *apoplexiae* producendae par esse videtur, haud raro, nunc sanguis, nunc latex serosus, in cerebri ventriculis, vel alibi hujus visceris, reperitur. Sic vir *Ticinensis*, 50 annorum aetatis, bacho non minus, quam veneri deditus, cum uxore; ebrius, coeuns, sub ipsa spermatis ejaculatione defecit. Mulier molestum, nimisque ponderosum sibi conjugem, de sinistro eventu haud cogitans, repulsit; evigilatur ea ab isto, ut eundem, ob spasmum pedis et brachii, humo imponeret. Mox vero hic miser in hemiplegiam ruit. Os ad

dextra distortum, balbuties, oculus sinister connivens; mens tamen, evigilato, sui et actorum conscia est. In nosocomium delato, vena hìc secta fuit. Post duodecim dies exspiravit infelix et *aqua* copiosa super cerebrum, — in uno istius ventriculo, *sanguinis grumus*, in altero *serum* repertum fuit. In clinico *Ticinensi* instituto, a. 1790, virum septuagenarium, jam pluries, et nunc denuò apoplecticum, ac latere sinistro paralyticum tractavimus. Morte ejusdem jam altera die, sub sopore atque deliriis, insecuta, cadaver illius secuimus. Vasa cerebri exteriora, a *cruore* turgida, infarcta. Duram inter piamque matrem, — inter hanc et cerebrum, *humoris serosi* multum stagnabat. In ventriculo cerebri sinistro, duae circiter unciae *sanguinis coacti* haerebant; in dextro vero, non exigua aquae rubellaè quantitas conspiciebatur. His igitur duobus in defunctis, apoplexiae tam *sanguineae*, quam *serosae*, simul junctae, exempla habetis, et quam parum distinctioni illius fidendum sit, videtis. Haud igitur sanguis, ut *sanguis*, — serum illius, ut *serum*, sed vires vitales morbosae, vel excessu, vel defectu peccantes, atque utrumque hu-

morum istorum genus, in calvaria, in cerebro aut suis in vasis colligi nimis, aut ab iisdem effundi, aut pathologica secretione accumulari faciunt, ad veram ac utilem aegris specierum apoplexiae diagnosin conferunt.

Apoplexiae hypersthenicae.

Signa vero *apoplexiae hypersthenicae*, quamvis saepe ambigua, sunt imprimis: temperamentum, ut vocant, sanguineum, repletum et igneum, aetas florida, victus lautior, crapulae praegressae aliaque sanguinis motum exaltantia, spirituosa, calefacientia, tempus vernale, vehementior causa, cruorem ad caput dirigens, cum praecedente acuta, subitanea ac vehemente cephalaea, profluvia sanguinis normalia, habitualia, suppressa, promtior atque celerior morbi invasio, pulsus, saltem initio, valde plenus, magnus et fortis, facies admodum rubra, calida, inflata, oculi protuberantes, vasa illorum, a cruore quasi injecta, distenta. Ne tamen ex solo *faciei pallore*, vel ex *senili* apoplecticorum, coeterum laute nutritorum, nec interim, exercitio corporis consueto gaudentium *aetate*, ad apoplexiae characterem *asthenicum* concludamus, tam similis palloris infidi vel

in dirissima peripneumonia (§. 186.), quam inflammationis energicae vel ipsis in senibus hincinde observatae (§. 198.), exempla nos admonent. Sic vir nobilissimus *Ticinensis*, 81 annorum aetatis, sex ante lustra cum dimidio, apoplexiâ percussus fuit vere sthenica: cum instituta eodem momento, cruoris ex vena jugulari emissio, et adplicitae cranio copiosae hirudines, jam convulsum ac stertentem hunc senem, hucusque vegetum, miraculi ad instar et alia sine paralysi, restituerint. Posse etiam ab ipsis convulsionibus ac spasmis in dissitis a capite partibus, et a causis minime debilitantibus, inductis, apoplexiam vere hypersthenicam oriri, nullum superest dubium. Sic expertissimus quondam *Brixiae* medicus et „commentarii de apoplexia maxime nervea" scriptor, „observavi, inquit, non semel, homines satis vigentes, nunquam convulsos, sed ad apoplexiam sua propria compage pronos, quos insultus quodammodo apoplecticus adoriebatur, vena ipsis contusa, statim valebant, ita tamen, ut per diem integram, urinam passim dejicerent adinstar aquae purissimam, hoc est, convulsivam." Sunt adeo, quae, vix exposita

apoplexiae hypersthenicae signa in quibusdam praecesserint, ac de adynamica hujus morbi natura suspicionem movere, facileque medicum; haud satis expertum, a venae sectione absterrere possent, symptomata. Sic in instituto clinico *Ticinensi* virum sexagenarium, capite magno, corpore pingui praeditum ac, praeter *oedema pedum habituale*, hucusque sanum, nec animi pathematibus vehementibus, nec crapulis, nec haemorrhoidibus obnoxium, tractavimus Hic vir, absque omni morbi attoniti signo praevio, sine vertigine aut cephalaea, apoplecticus subito, ac latere dextro resolutus, corruit. Ob conspicuam arteriarum plenitudinem, pulsuum duritiem, faciem rubentem, admodum calentem, et corporis conditionem in coeteris vegetam, etsi *oedema* tam diu magnum praecessisset, binis vicibus vena huic viro largiter adperta, hirudines, et fomentationes frigidae capiti impositae, et ea, quae alvum blande subducerent, praescripta fuerunt. Atqui tam energica apoplexiae, non obstante pedum tumore aquoso, medendi ratio, non modo huic seni haud nocuit; sed brevi satis temporis intervallo, donec animo hilari ad suos

se reduci curasset, motum cruri ejusdem paralytico aliquem restituit.

Etsi vero recentior, et jam pluries a nobis citatus, *Galliae:* „de apoplexia vel haemorrhagia cerebri" scriptor, morbi attoniti, tam *activi*, ut vocat, quam *passivi*, symptomata, a se primùm, nec unquam ab aliis, clare exposita, et inter se distincta fuisse, glorietur; quamplurimum nihilominus abest, quin specierum istarum apoplexiae diversarum diagnosis, primo sub morbi, quo scilicet vel maxime interest, tempore, vel a viris in arte non parum expertis, ubique satis secure institui queat; ac tantam quidem, in re saepe tam dubia, certitudinem, non nisi a viro, tam penetrante ingenio, atque tam lynceis oculis instructo, ut non modo *sedem* effusi in cerebrum, cerebellum, sanguinis, hanc vel illam, in viventibus adhuc apoplecticis, ex symptomatum differentia, sibi perspicuam fieri, sed adeo *cicatrices*, a repetitis uno in homine apoplexiis, jam pluribus ab annis *in cerebri substantia* relictas, post mortem illius, clare a se distinctas fuisse praetendit, exspectari liceret. — Non quidem praeviae apoplexiis

signa adynamiae, ubique tam obscura, et *causarum deprimentium*, huic morbo praemissarum, *effectus*, semper tam dubios esse, praetendimus; ac magnae sane auctoritatis sequentia esse, lubenter concedimus: habitum scilicet corporis gracilem, phlegmaticum, laxum, cachecticum, jam primo adspectu debilem, per morbos adynamicos, per dyspepsias diuturnas, per veneris abusum, per evacuationes nimias, per haemorrhagias, podagram, hydropem, scorbutum, febres intermittentes, per inediam, labores immoderatos, per deprimentia animum pathemata, per venena ex plumbo, arsenico, vel alio, debilitatis indirectae sub specie, exhaustum, hystericum valde, aut hypochondriacum, — aetatem provectam ac adperte infirmam, faciem, jam ante hunc morbum, collapsam, pallidam, oculos languidos, ac minime prominentes, vel rubedine suffusos, pulsus molliores ac debiles, lentiorem symptomatum morbi prodromorum decursum, causarum excitantium absentium, deprimentium vero certitudinem. Nec tamen et his a regulis exceptio omnis excluditur, atque non raro, constitutionis regnantis imperio, cha-

racter morborum et apud illos, qui *debilium* ad classem hucusque pertinuerant, mutatur in contrarium.

Cum vero, sub asthenica virium positione, majores nervorum turbae plerumque praedominent; sub his ipsis, haud raro morbus attonitus exoritur, et non injustum *apoplexiae nervosae* nomen hic sibi promeruit. Hùc mortes apoplecticas vel a solo animi pathemate fortiore tam saepe provocatas (§.958.), referimus. Quamvis enim et post istas subinde in calvaria, aut cerebro, reperiatur sanguinis repletio, effusio; a spasmo tamen, ut causa primaria, has ipsas fuisse productas, et origine sua ad apoplexias *asthenico-nervosas* pertinere, sat clarum est. Non minus apoplexiae, quas summis sub doloribus, a crudeli tortura, a dentione perdifficili, inductis, provocatas fuisse, experientia docuit, hùc pertinent. Haud infrequens ex epilepsia, mania, apoplexiae scaturigo est. A fulminis ictu, saepius pereunt homines, nunc unico momento temporis; nunc sub apoplexiae funestis symptomatis. Atqui sicuti animalia minora, vel solo ab ictu fortiore electrico, mortua concidunt: ita in nervos Nervosae.

ac fibram motricem potissimum fulminis actio hic, non vero in aeris rarefactione summa, sub qua homo, et in aere libero, animam ducere haud possit, consistere videtur. Non raro interim ab atmosphaerae per carbones corruptione, a florum odoriferorum exhalationibus, a murorum, calce recenter inductorum, a vaporum arsenicalium, mercurialium, sulphureorum, actione in illam, apoplexias, hemiplegias, tum alii exortas viderunt, tum partim nos ipsi observavimus. Haud alia ratione interdum et contagia, et arthritis, podagra, impetigines, exanthemata, cauteria in caute sanata, tum in cerebrum, tum ipsos in nervos, — et venena, acidum borussicum, aqua laurocerasi, fungi varii, sordes gastricae, vel maxime corruptae, potissime in illos ventriculi agendo, apoplexias produxisse videntur. „Si mordeat cerebrum, inquit *Hippocrates*, multam turbationem habet, et mens desipit, cerebrumque convulsionem sentit, et totum hominem trahit, neque in se vocem edit, sed suffocatur, huic affectioni apoplexiae nomen est." Atqui, haec singula, quin adeo, virorum, coeterum clarorum, exemplo, *humorum*,

ad acrimonias recurramus, explicationem longe saniorem admittunt. Aliquos, praecipue senes, ipso sub coitu, quod supra jam diximus, ab apoplexia, vel hemiplegia correptos, eosque non tam viribus tam celeriter exutos, quam convulsionis specie prehensos, cum aliis observavimus.

Ex *praecordiis*, vel a saburris in tubo alimentari collectis earumque effectibus apoplexiam venisse, tum illa, quae de nervosa diximus, tum epidemia biliosa, vel gastrica constitutio, errores in diaeta praegressi, ciborum malesanorum ingurgitatio et crapula, verminm copia prius animadversa, meconii apud neonatos necdum facta satis excretio, coaguli lactei signa varia in infantibus, vomituritio, vomitus, ac oris amaror linguaeque sordities, apoplexiam praegressa, testantur. Sic postremus marchionum *Bado-Badensium* princeps regnans, a lautiore, pro sua aetate, prandio, in apoplexiam et in hemiplegiam incidit, a quibus tamen, mox vomitu per artem excitato, perfectissime liberatus fuit. Sic celebris archiater caesareus, viri historiam refert, qui, inter amicos versans, apoplexia Praecordialis.

correptus, ab eadem, ingestis et insigni pituitae per vomitum spontaneum copia rejectis, sanitati restitutus est; et plura exempla ab egregio quondam *Angliae* medico non minus, quam ab eximio quondam *Goettingensium* professore ac dissertationis „de lethargo" experto scriptore, referuntur similia. Ne interim vomitum apoplecticorum, ex *idiopathica* cerebri adfectione oriundum, emeticorum ope, adhuc magis ominosum reddamus, quod jam expertissimus quondam *Helvetiae* medicus, et „observationum anatomicarum de apoplexia" scriptor, de *ebriorum* morbo attonito monuit, summopere cavendum est. Vel maxime autem, et hoc in morbo, *complicationum* rationem haberi oportet. Haud raro scilicet, causae eaedem, quae apoplexiam, per nervorum consensum producunt, in encephalo morbosi quid jam prius crearunt; aut ipse, licet longinquus a capite spasmus, cruorem, istius ad vasa, jam debiliora, impellit, atque haec vel plurimum distendit, vel prorsus dilacerat: unde nascitur apoplexia, cujus causa occasionalis quidem *nervosa* est; immediata vero, in cerebri compressione consistit, quae apoplexiam, excitato


sub vomitu, in *sanguineam* simul, aut in *serosam* convertit.

Jam ipso tractatûs praesentis sub limine, resolutionem partium, ex culpa *medullae spinalis* venientem, *apoplexiae*, et quidem *vertebralis*, nomine haud minus, ac illam, quae calvariae a vitiis, *apoplexiae capitalis* sub titulo, oritur, dignam declavimus (§. 955.); ac certe sua cuivis vertebrae apoplexia est et paralysis, quousque propria dominatur nervosa propagine, singulas sibi inferiores ad vertebras extensa; et haud alia ratione medullam spinalem, quam cerebrum ipsum, morbus attonitus percutit. Cum vero jam multis abhinc annis, qua scilicet epocha, de morbis medullae spinalis adfectionibus modo rarius, et sparsim in libris medicis mentio injici soluerat: in sermonibus academicis *Ticini* a. 1787. „de rachitide acuta et adultorum," — a. vero 1792, „de columnae vertebralis in morbis dignitate," prout a nobis, tam brevi oratiunculae spatio, tantae dignitatis argumenta proferri licuit, majorem medicorum attentionem hoc in *alterum cerebrum* excitare studuimus, atque nostri „Delectûs opusculorum medicorum

Apoplexia vertebralis.

voluminibus inseruimus; ne rebus jam satis ibidem expositis et chartae praesentes terantur; eorundem lectionem liberculorum vobis commendamus. Fructus coeterùm et hic labor noster, et aucta indies, in detegendis thecae vertebralis non minus, quam spinalis medullae post morbos aberrationibus, sedulitas, tulerunt.

Finis.




Jos. Lanfranchi. R. I. Uniuer. Pap. Pict. del ex. Archetypo

F. Anderloni sculp. Brixiensis




Jos. Lanfranchi R. I. Uniuer. Pap. Pict. del. ex. Archetypo

F. Anderloni scul. Brixiensis



Lanfranchi R. I. Univer. Pap. Pict. del. ex Archetypo


F. Anderloni Sculp.



C. E. Eberlein del.

Ponheimer sc.

T. 5.



C. E. Eberlein del.

Ponheimer sc.

T. 6.



C. E. Eberlein del.

Ponheimer sc.